novis sumptibus ingentia bona, immensos meritorum thesauros, & ad evitandam calamitatem plurimorum, qui multa quidem, verum sine fructu operantur.

Primo cum Deo laborandum est, hoc est in gratia Dei, per quam opera nostra illi accepta sunt.

Secundo laborandum est propter Deum ex mera, sinceraque intentione placendi illi, & faciendi voluntatem illius. Quod in sermonis decursu explicabimus.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Otium.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo tuo laxabo rete. Luc. 5.

II. Argum. De Confidentia in Deo.

Nunquam alias Sanctus Petrus, aliique Apostoli feliciorem habuere piscationem, nisi cum voci Filii Dei obedierunt. Hic illis præcepit, ut ex altero navigii, in quo erant, latere mitterent retia; hoc est, Mundi Salvator fecit, ut momento majus referrent lucrum, quam per omnes noctis labores retulerant. Profecto, fudastis, laborastis, multa passi estis, & post hæc nihil cepistis, quia laborastis sine illo: *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Verum simul ac confidistis in illo, in verbo ejus, & auxilio, pisces catervatim irruerunt in retia vestra, tanta in copia, ut illa ferme frangerentur, ita ut in eo labor vester impensus fuerit in colligenda piscium multitudine, qua navicula vestra repleta fuit. Hic est Christiani effectus nostræ in Deo confidentiæ, quæ in oculi ictu magis nostra promovet negotia, quam profecerint omnes curæ, laboresque nostri toto vitæ nostræ curriculo. Sed fateamur, Fideles, non adeo facile esse habere firmam hanc in Deo confidentiam, qualem Dei Filius postulat, ad instaurandum hodierni Evangelii miraculum: quandoquidem Sanctus Petrus ipse, aliique Apostoli eadem caruerunt in tot aliis occasionibus, & post tot alia miracula, quæ ob eorum oculos obversabantur. Tamen virtutem adeo nobilem, ac necessariam suafuris sum hodie illis qui our audiunt, ostendens

Primo sine ope Dei, quidquid aggrediemur, nunquam nobis cessurum e sententia, & ob levissimos casus subversum iri.

Secundo cum ope, & protectione Dei, in qua confidimus omnia in utilitatem, & commodum nostrum cessura, ubi illa ad majorem Dei gloriam aggressi fuerimus, atque ut nosmet consormaremus ejusdem voluntati eo in statu, in quo nos ille constituit. Hoc ex hodierno Evangelio innotescit, in quo Deus hinc quidem remuneratur Sancti Petri confidentiam multitudine piscium, qui in ejusdem retia confluxerunt, inde vero eum confirmavit in eo metu, quo correptus fuit videns se tanto indignum subsidio: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens.* Luc. 5. Hæc duo bona sunt, quæ cedunt illis, qui non præsidentes in industria, laboribusque suis in protectione, & Providentia Dei usquequaque confidunt.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Confidentia.

Cum turba irruerunt in Jesum, *ut audirent verbum Dei &c.* Luc. 5.

III. Argum. Modus prædicandi, & audiendi verbum Dei.

Hodiernum Evangelium nos docet, Filium Dei, qui venerat in terram ad homines erudiendos, ac tradendam illis novam doctrinam, omnibus uti occasionibus exercendi ministerium prædicationis propter quod missus fuerat, & per quod homines erudiri cupiebat. Quemadmodum vero vox illius ab omnibus hominibus singillatim, & locis in omnibus exaudiri non poterat, in hujus muneris societatem cooptavit Apostolos, qui primi fuerunt Legis præcones, & qui primi annuntiaverunt Evangelium. Hi autem Apostoli, & Prædicatores istic exhibentur sub nomine, ac munere Piscatorum, qui divini hujus Præceptoris jussu jacientes retia, ceperunt hanc piscium multitudinem, quæ descripta est, ad significandum fructum uberem, quod ferre potest verbum Dei, ubi dispensatum fuerit in circumstantiis, & cum necessariis conditionibus. Verum quin fusius verba faciam de præstantia, potestate, ac virtute divini hujus verbi, animadverto solum, Evangelium hujus diei docere

Primo in Filio Dei, qui sumit occasionem illud ante alios prædicandi, veram illius enuntiandi rationem.

Secundo in populis undequaque confluentibus ad illum audiendum, rationem, qua illud audire opus est, ut inde fructus, quem afferre potest, percipiatur.

Tertio in miraculosa Apostolorum piscatione insignem effectum pro conversione peccatorum, & nationum doctrina. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Luc. 5.

Pro parte prima, quæ continet Prædicatoris officium, Filius Dei nos docet. Primo munus hoc aggrediendum non esse sine peculiari missione, sicut ille ipse missus fuit a Patre suo, quemadmodum pluribus in locis Evangelii sui testatus est. Secundo prædicando verbum hoc de Sancti Petri navigio, quod nobis ostendit, in vera tantum Ecclesia verum Dei verbum nuntiari. Tertio ipsum hoc sine personarum vel conditionum acceptione populis prædicasse, quin in hoc munere quæreret aut fulgorem, aut Auditorum nobilitatem, sed ad eos loquendo, qui melius proficere possent. *Pauperes Evangelizantur.*

Pro parte altera, quæ respicit Auditores: Ex hoc ipso Evangelio discimus modum audiendi verbum Dei. Primo accedendum est cum festinatione, & ingenti desiderio inde proficiendi: *Cum turba irruerent in* Jesum, *ut audirent verbum Dei.* Secundo afferenda est attentio necessaria, qualem attulerunt populi isti, cum Salvator loqueretur eis de navicula, ubi sedebat ad evitandam turbam audientium de littore. Tertio discitur fructus, qui ex eodem verbo potest hauriri, qui cognoscitur ex professu eorumdem Apostolorum, qui tunc illius primi Auditores fuerunt: namque Sanctus Petrus primus omnium ad Filii Dei pedes procubuit, se vere peccatorem esse confessus. *Recede a me, quia homo peccator sum;* & alii reliquerunt phasellum suum, & retia, ut Jesum sequerentur, eique unice adhærerent.

Pro parte tertia, quæ est miraculosa illa piscatio, quam fecerunt Apostoli, dubitari nequit quominus repræsentet nobis non solum multitudinem peccatorum, verum etiam Nationum ex Idolorum cultoribus conflatarum, quæ conversæ fuerunt, & ad fidem vocatæ vi, ac virtute divini hujus verbi, quod ad hanc quoque diem eamdem obtinet facultatem in animos peccatorum; ubi administretur, uti decet, & afferantur eædem dispositiones ad proficiendum.

Vide Bibliotheca Moral. Evangel. Tomo IV. sub Titulo: Verbum Dei.

PRO V. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 5.

I. Argum. Tenetur Christianus facere opera bona.

Duo sunt omnino necessaria in Fideli, sine quibus frustra jactat gloriosi hujus nominis privilegia, & mercedem sperat, quam pollicitus est Deus illis, qui muneribus suis fuerint perfuncti: Fides, & lex. Fides omnium mysteriorum Religionis nostræ, & praxis bonorum operum, quæ præscribuntur ab illa. Ecce quænam sint duo Christianismi fundamenta, ac totius Evangelii Compendium. Quod pertinet ad Fidem, & Religionis nostræ Mysteria, jam locuti sumus in superioribus; & si quid restat, de quo plenius erudiendi simus, non deerunt occasiones hoc efficiendi in reliquo anni hujus curriculo: quod vero spectat ad praxim operum bonorum, quorum necessitas inevitabilis est, Salvator nos erudire videtur in hodierno Evangelio, ubi palam docet discipulos suos, & in eorum persona Christianos omnes quod, *nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.* Matth. 5.

Verbum terribile! Auditores, præsertim vero hoc sæculo, quo videtur, prout Fides in omnem terrarum orbem se effudit, caritatem in cordibus nostris intepuisse, ut loquitur Evangelium; & dum Christiani fidem suam actionibus probare deberent, actiones corum e contra ostendere nullam in ipsis fidem reperiri. Quod autem efficit, duo hæc quæ a Fideli exigit Deus, separari invicem nequeant, hodierna die vobis ostensurus sum

Primo obligationem, qua Christianus tenetur, bona opera facere, quod primum erit punctum.

Secundo conabor ostendere nullum esse Christianum, quocumque in statu sit, & cujuscumque sit conditionis, qui hoc munere nequeat perfungi.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Opera bona.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5.

II. Argum. De Ira.

Primo licet Affectus hic homini insitus fuerit ad injustitiam coercendam; plerumque nihil injustius est in principio, & in ipsa agendi ratione; etenim levissimas ob caussas irascimur.

Secundo quamvis ira nos excitare deberet ad heroicas virtutes, obnoxia est maximis, & damnandis criminibus, nisi coercetur, & si eadem nos rapi sinamus.

Tertio quamvis ad maximas, sanctissimasque actiones sit necessaria, tamen optimas quasque corrumpit, & vetat, ne cedant e sententia.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: Ira.

Si ergo

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

Sacrificantes Deo sensus iracundiæ, & ultioni abrenuntiantes, gratissimum, maximumque offerimus Sacrificium, quod aliquam habet similitudinem cum Sacrificiis legis antiquæ.

III. Argum. De reconciliatione cum inimicis.

Primum erat Holocaustum, in quo victima tota omnino erat consummanda; quod accidit in Sacrificio, quod fit Deo ultionis. Nobis præripiatur honor, bona, existimatio; & in statum adducamur jamjam vitam ipsam amittendi; statim ac affecti sumus animo noxam illatam dimittendi, & non exposcendi vindictam, nihil nobis reliquum est, quod offeramus Deo. Hoc integrum Sacrificium, & Holocaustum est, & nihil victimæ superest.

Alterum erat Sacrificium Propitiationis, quod vulgo dicebatur *Sacrificium pro peccato.* Ultionis Sacrificium jure hoc nomine potest vocari; quandoquidem nisi inimicis nostris concesserimus veniam injuriarum, quas accepimus, nunquam impetraturi sumus a Deo veniam peccatorum nostrorum; cum e contra dimittentibus ex corde, nulla sunt peccata adeo gravia, ac tam multa, ut veniam eorum nequaquam nos consecuturos vereamur. Quod proculdubio latum Oratori disserendi campum aperit.

Tertium erat Sacrificium, quod dicebatur *in honorem.* Non quod omne verum Sacrificium non fuerit institutum in honorem Dei, sed quod secernendum erat Sacrificium propitiationis a reliquis Sacrificiis ab holocausto diversis, in quibus victimæ portio reservabatur in usum seu Sacrificulorum, seu illorum, pro quibus offerebantur. Quamvis itaque verum sit a dimittentibus injurias, & diligentibus eos, a quibus eas perceperunt, fiat Domino absolutissimum, quod illi fieri possit, Sacrificium præsertim rei illius, quæ nobis maxime negotium facessit, & honoris summa vocatur; hoc non obstat, quominus fidelis, qui quodammodo erogat sumptus hujus generosæ oblationis, habeat portionem, quam Deus illi reservat honoris, quem illi plenissimo immolat affectu, vel potius ex actione sua alium colligat honorem toto Cælo suaviorem, nobilioremque, qui ex prioris reliquiis quodammodo nascitur. Ita hæc venia, & hic amor in maximum cedit honorem Dei, & hominis; Dei quidem propter rationes, quas in priori parte intuiti sumus; quoniam nunquam melius suprema illius magnitudo, atque auctoritas recognoscitur, quam illi in re tam difficili obediendo: hominis vero, quia nihil unquam facere possumus præstantius, vel magis heroicum; ideoque non possumus nobismet ipsis conciliare ampliorem honorem, & coram Deo, & apud homines sapientiores; & proinde possumus etiam dicere, fidelem hoc pacto se ipsum superare, idque ratione pacis Cælestis, & voluptatis, quæ manat ex hoc Sacrificio: quod Spiritus sanctus in Scripturis dicit de diligentibus observatoribus legis, qui statis temporibus accedebant in Templum per Sacerdorum manus oblaturi sua Sacrificia. *Et epulaberis in omnibus, quæ Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Deutr. 26.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Amor inimicorum.

PRO VI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam, quia triduo jam sustinent me, nec habent, quod manducent. Matth. 8.

I. Argum. De Confidentia in Deo pro rebus temporalibus.

Quantumvis admirabile sit illud prodigium, quod in hodierno Evangelio narratur, in quo Dei Filius pascit quatuor ferme hominum millia cum panibus septem, & nonnullis pisciculis: non ideo tamen ex Sancti Augustini sententia citra stuporem, & fortasse animadversionem quotannis hoc præstantius intuemur; aliquot enim semina terræ credita ita multiplicantur, ut sufficiant alimoniæ omnium mortalium per virtutem illis insitam a Deo ab ipso sæculorum primordio producendi, & suppeditandi quæcumque nobis ad victum sunt necessaria. Verum hoc illud est, Christiane, quod nos cogit animum advertere ad divina Providentiæ consilia ad excitandam in nobis confidentiam, quæ nobis habenda est in illa in omnibus necessitatibus nostris: quoniam licet affluenter generalibus egestatibus nostris consuluerit, fieri tamen non potest, quominus in peculiaribus ea, quæ maxime necessaria sunt aliquando deficiant, & sæpe etiam usuvenit, ut omne humanum subsidium solatium illis afferre non valeat, vel eas prohibere, quemadmodum contigit huic multitudini in deserto, quæ Salvatorem in desertum subsecuta incipiebat magnis incommodis laborare: quorum misertus Dei Filius illis consuluit insigni miraculo multiplicationis panum, ut intelligeremus, ipsum neque oblivisci posse, neque derelinquere eos, qui in ipsius bonitate confidunt.

Verum est, quemadmodum ipse, cum sibi tamquam præcipuum finem animæ nostræ salutem proposuerit; ita curam illius præcipue extendi in hanc præstantiorem hominis partem, quæ fuit objectum non solum sollicitioris curæ suæ, verum etiam uberioris affectus: Sed cum de re hac satis persuasum hominibus sit, & raro in illis confidentia deficiat pro illis, quæ cælestia bona respiciunt, ut immo satis multi hac in re per nimiam peccent præsumptionem, & e contra paucissimi, qui perfecte confidunt in Deo in vitæ hujus necessitatibus, ad hanc confidentiam, quæ vocari potest temporalis, conabor vos hodierna die compellere proposita vobis consideratione curæ illius, quam Justorum gerit Omnipotens.

Ut autem vobis hanc confidentiam suadeam, quæ non est aliud nisi spes in Deo constans, & solida, atque virtus hodierna die inter Christianos incognita, quamvis nobis in primis necessaria; animadverto hominem propter nihilum, ex quo emersit, duo potissimum habere conditioni suæ inhærentia; hinc quidem indigentiam, propter quam mendicat a ceteris creatis opem; inde vero imbecillitatem, propter quam undique protectionem, & subsidium requirit. Ita Providentia ex duplici hoc capite sese prodit confidentibus in ea, quod nos cogit, ut ad eam in omnibus necessitatibus utrinque proficiscentibus confugiamus.

Primo, quia Providentia peculiarem gerit curam eorum omnium, quæ ad nos spectant, benevola bonitate omnia prævidens, & providens omnibus necessitatibus nostris.

Secundo nos tuetur, & protegit contra omnia, quæ nobis nocere possunt sive per injustitiam, & impotentiam hominum, sive per inopinatos casus, qui possent ingruere. Hoc Dei Filius operatur cum hac populi turba, quæ illum subsecuta est; quæ duo erunt puncta hujus sermonis.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: Confidentia in Deum, *& in Tomo IV. Titulum:* Providentiæ.

Misereor super turbam, quia triduo jam sustinent me, nec habent quod manducent. Marc. 8.

II. Argum.

Dei Filius, Christiani, qui reliquo vitæ suæ curriculo fuit pauperum exemplum, hodierna die in Evangelio miraculum operatur futurus vicissim exemplum divitum erga illos; & ejus Providentia, quæ hoc permisit fortunarum, & conditionum in hominibus discrimen, noluit utrosque relinquere sine medio operandi salutem suam, neque sine exemplo, quod in persona sua possent imitari. Oculos attollit visurus necessitatem hujus multitudinis, quæ ipsum secuta fuerat in desertum, *Cum sublevasset* Jesus *oculos*; Cor ejus misertum est: *misereor super turbam istam.* Sed ejus misericordia migrat usque ad effectum per miraculosam quinque panum multiplicationem, qui satis fuerunt alendis quinque millibus hominum. Hæc est, Fideles, lectio, exemplum, & præceptum simul, quod irrogat divitibus aperiendi simul oculos ad inspiciendam pauperum necessitatem, cor ad miserescendum fraternæ egestatis, & manus ad erogandam eleemosynam ex bonis, quorum largum donatorem se Deus illis præbuit; quod si fecerint cum eadem affectione, audeo dicere, exitum non fore longe diversum; & sicuti in hac distributione a Salvatore peracta, obstupuerunt Apostoli videntes panem in distribuentium manibus multiplicari, ita bona illorum in pauperes divisa non interibunt, sed e contra centuplo multiplicabuntur, sæpe etiam in hoc vitæ curriculo, quare Sanctus Chrysostomus inquit, in hoc tantum miraculo nobis imitandum esse mundi Salvatorem, cum in ceteris sufficere nobis debeat documentum, quod continent.

Quidquid spectat ad officium Christiani erga pauperes, redigi potest ad tria, quæ Dei Filius operatus est, cum aluit panibus quinque admirabilem populi turbam, & quæ fuerunt populi necessitatem videre, illius misereri, eique ferre opem.

Primo *Cum sublevasset oculos* Jesus. Oculos extulit, ut videret laborantium necessitatem. Ubi ostendi potest Christianis satis esse non debere, si obviis, & opem petentibus auxilientur; sed debere eorum cognoscere egestatem, illos perquirere, illos invisere in xenodochiis, atque in carceribus; verecundorum pauperum calamitates aperire,

aperire, eorum scrutari necessitatem: invenire demum, quod ubique est, sed non invenitur, nisi quæratur. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Psalm. 40.

Secundo *Misereor super turbam*. Debemus misereri alienæ necessitatis, pauperum miseriis flecti, ac ad misericordiam commoveri. Ideo eleemosyna vocatur misericordia, cum nullus sit sensus homine Christiano dignior, quemadmodum nullus Deo, & hominibus gravior, quam cor durum, & inflexibile iis malis, quæ pati possunt homines, qui non alium finem habent præter hunc, & qui sæpe Deo sunt acceptiores.

Tertio manus tandem aperiendæ sunt, ut pauperibus subveniamus, quod innuunt verba illa, *distribuit discumbentibus*. Videlicet, nobis satis esse non debet sterilis miseratio, sed illis opem ferre debemus tum curis nostris, tum opibus.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: MISERICORDIA.

Misereor super turbam, quia triduo jam sustinent me, nec habent, quod manducent. Marc. 8.

III. ARGUM. Misericordia, quam Salvator exercet erga pauperes divitium sævitiam condemnat.

Per occasionem Evangelii de panum multiplicatione: Exemplum misericordiæ Salvatoris est damnatio illius, quam plerique divitum pauperibus negant.

Primo ejus misericordia præveniens qua consulit necessitatibus multitudinis populi confluentis feras damnat locupletiorum eleemosynas.

Secundo magnifica ejusdem misericordia modicas damnat eleemosynas, qui nequaquam juxta vires suas pauperibus opitulantur.

Tertio ejus misericordia cum humilitate, atque modestia conjuncta in omnibus actionibus hujus circumstantiis damnat superbiam, ac fastum humanarum eleemosynarum.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: ELEEMOSYNA, *& in Tomo I.* DIVITIARUM ABUSUS.

PRO VII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum Cælorum. Matth. 7.

I. ARGUM. De Conformitate ad voluntatem Dei. *Ephes. 1.*

VERITAS est, quam nemo unquam in dubium vocavit, Dei voluntatem esse caussam eorum omnium, quæ in mundo accidunt: Quemadmodum illa Mundum hunc ex nihilo eduxit, cum hac creaturarum multitudine illum componentium, quæ factæ non fuerunt, nisi consilio voluntatis suæ, ut Sanctus Paulus testatur; *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Sed non ideo minus certum est, eamdem esse etiam finem quo tendere debent, quoniam quocumque modo, velint, nolint, cedere debent supremæ hujus voluntatis imperio. Tamen hoc discriminis interest inter ea, quæ agunt necessario, & quæ libere rationabilia sunt, quod prima minime resistunt executioni mandatorum illius, sed e contra feruntur pondere naturalis propensionis suæ, & cum obedientia *exquisita in omnes voluntates ejus*, ut loquitur Propheta. Quod vero ad hominem spectat, qui naturæ suæ munere libertatem est assecutus, & quem Deus eo usque revereri videtur, ut illi vim inferre nullatenus velit, ejus liberam manet submissionem, quod primum est tributum voluntariæ servitutis, & pignus primum fidelitatis debitæ; ita ut injustus sit, si non sequatur illam, quoniam ejus justitia in eo sita est, ut sese illi conformet, atque subjiciat. Equidem scio conformitatem hanc in Cælo tantum perfectam futuram esse per beatam felicitatem non aliam habendi voluntatem, quam Dei; quæ tunc futura est summa nostra felicitas, & beatitudo. Nihilominus nostrum erit illam in hac ipsa vita inchoare resignando penitus divinæ voluntatem nostram, eamque acceptando tamquam unicum canonem actionum nostrarum; utque quantum in me est, pro virili suadeam hanc adeo sanctam, utilem, & dignam Christiano exercitationem, suppositis tribus qualitatibus, quas Scriptura tribuit voluntati Dei, & quæ illam ab humana secernunt; quarum prima est, esse supremam, & absolutam; altera infinite justam, & æquam; & denique eam usquequaque directam esse a suprema sapientia, quæ illi semper comes accedit; duplicem dumtaxat veritatem vobis proponam, quæ sermonis hujus partitionem constituent.

Prima est. In hac voluntatis nostræ submissione erga Dei voluntatem consistere omnem vitæ hujus felicitatem, quanta hic esse potest; quia hoc medium est imperturbabili pace gaudendi inter casus omnes, qui illam turbare possunt.

Altera vero. Hoc illud esse quod nobis tribuit jus, ac spem perveniendi aliquando ad beatam æternitatem; etenim illam una hac ratione consequi licet.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFORMITAS VOLUNTATI DEI.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum; sed qui facit voluntatem patris mei, ipse intrabit in Regnum Cælorum. Matth. 7.

II. ARGUM. De Obedientia Deo debita in observantia mandatorum ejus.

Postquam Salvator animarum nostrarum in hoc Evangelio nos docuit, Deum in exteriori specie non immorari, sed interiorem partem inspicere; & propter hanc caussam reprobare hipocrycas, ovinam speciem ferentes præ se, cum sint intus lupi rapaces, *attendite a falsis Prophetis &c.* Postquam dixit non deesse arbores steriles, scilicet malos Christianos, qui fidem habent mortuam, & cogunt Deum, ut illas succidat, atque ex hac vita tollat casibus inopinatis eas quæ in iræ suæ ignem conjiciat comburendas, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur*; inde arguit, sicuti ex fructibus judicium ferendum est de arboris bonitate, ita ex operibus bonis cognoscendum esse, utrum principium interius Fidelis, bonum, & solidum sit; *igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Post hæc in Evangelii calce explicat, quinam sit verus fructus, quem verus ferre debet Christifidelis, & quid ab illo expectat Deus illum probaturus, eique aliquando regnum Cælorum daturus. Fructus iste, inquit ille, non aliud est, quam perfecta obedientia, & generosa executio voluntatum Dei per sacrificium inconditarum nostrarum voluntatum. *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum Cælorum.*

De hac igitur obedientia loquar hodierna die, de qua verba facientes videbimus,

Primo hanc unam dare Deo verum honorem, quem exigit a rationabili creatura.

Secundo in hac una obedientia rationabilem creaturam invenire posse solidam felicitatem pro tempore, atque æternitate.

Vide eumdem Titulum: CONFORMITAS CUM VOLUNTATE DEI.

A fructibus eorum cognoscetis eos ... si omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Matth. 7.

III. ARGUM.

Si certissimus est canon, in natura de arboris præstantia ferre judicium ex fructuum illius bonitate, non minus certus est, in morali homines cognosci ex eorum actionibus, quæ sunt nota, & character, qui semper bonos a malis secrevit. Hac proculdubio de caussa Prisci hominem vocarunt arborem inversam, cujus radix est in parte superiori, & rami sunt in terra, sed quæ ferre debet fructus suæ conformes naturæ. Hinc Mundi Salvator vult homines ex fructibus eorum cognosci, videlicet ex bonis operibus, quæ faciunt; & hæc etiam caussa est propter quam asserit de hominum virtute ferri judicium ex actionibus eorum, ostendendo

Primo ad hoc, ut aliquis sit verus Christianus, opus esse, ut bona opera exerceat; & neminem esse penes quem non sint facultas, media, & occasiones, ubi perfungatur officiis status, conditionis, & muneris sui.

Secundo bonitatem operum nostrorum, & nostrarum actionum pendere a pluribus circumstantiis, & conditionibus, quarum ubi una desit, inutiles sunt ad Cæli acquisitionem, & faciunt, ut omne pereat meritum, & sexcentis sint illusionibus obnoxiæ.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: OPERA.

PRO VIII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Luc. 16.

I. ARGUM. De Judicio particulari.

SI villicus Evangelicus accusatus apud herum suum, quod bona illius dissipasset; terrore correptus fuit videns sibi reddendam esse rationem villicationis suæ, quin sibi otium permitteretur rationes suas supputandi; fingere Christiani vobis licet quo terrore ipsi corriperemur sub vitæ hujus exitum, cum jam excessisset tempus nostræ perfruitionis, & administrationis bonorum ab ipsa nostra conscientia, quæ molestissimus futurus est omnium testium, accusati, & vocati ad comparendum, non quidem coram Patre-Familias, qualis erat Evangelicus, cui opus erat

erat Diuturno tempore, pluribusque rationibus ad probandam servi hujus nequam infidelitatem; sed coram supremo Judice, eoque perspicacissimo, quem latere non potest novissimum scelerum nostrorum, & qui severam, districtamque rationem efflagitabit non quidem redituum familiæ unius, sed tot bonorum gratiæ, & naturæ; tantorumque talentorum, & beneficiorum, verbo omnium vitæ nostræ actionum; & præterea cum periculo, si malæ administrationis crimine convicti fuerimus non solum de gradu dejiciendi, & alteri vacuum relinquendi, verum etiam in arena audiendi mortis, æternique supplicii sententiam: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Esto; si locus esset arte aliqua utendi, quemadmodum villicus iste usus est, & si quid nobis reliquum esset spei in amicis, de quibus bene meriti fuimus sumptibus conscientiæ nostræ: non esset conclamatum. Sed heu! in hac solitudine, atque universali destitutione, in qua reperitur anima in suæ secessionis momento: cum ex magno hoc fortunæ apparatu sibi ad latera non videbit, nisi bona, & mala, quæ fecit, cum cognati, & amici circa corpus ejus lacrymabuntur. In hac inquam universali destitutione sola rapietur ad tremendum Dei tribunal, qui primum feret judicium vitæ, vel mortis æternæ, quod tamen erit supremum, & sine provocatione. De hoc particulari judicio, quod de singulis nostrum in ipso mortis nostræ momento habendum est, hodierna die verba facturus, nequeo Fideles re adhuc integra melius vobis ostendere metum, terroresque animæ in ipso separationis a corpore instanti, quam per sententiam Sancti Augustini asserentis extremum vitæ nostræ diem nobis esse, quod omnibus erit extrema dies mundi. Non solum quia omnia pereunt nobis hoc momento, sed etiam quia præter propter in homine eadem videntur, quæ gignent summum terrorem in totali Orbis hujus exitio.

Sed sepositis omnibus rationibus, & congruentiis horum duorum Judiciorum, quæ facienda sunt de una, eademque persona, in tribus peculiariter immoror, quæ aptiora mihi videntur ad ciendum in nobis metum salutarem, & quæ Scriptura complexa est tribus verbis, quæ prodigiosa manus olim pariete aulæ impii Balthassaris in novissimo convivio, quod præcessit mortem ejus, descripsit.

Primo numeratum est.
Secundo appensum est.
Tertio divisum est.

Numeratum est. Videlicet in utroque Judicio quæretur diligens ratio eorum omnium, quæ fecerimus. *Appensum est*. Omnia examinabuntur ad pondus Sanctuarii, & in statera Judiciorum Dei. *Divisum est*. Mox dividemur, & separabimur, non solum a viventibus, verum etiam a Cælo, & societate Beatorum, si nocentes inventi fuerimus. Tria hæc verba constituent ordinem, & partitionem hujus Sermonis.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JUDICIUM PARTICULARE.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud illum. Luc. 16.

II. ARGUM. De relationibus quæ fiunt verborum, & actionum alienarum.

Mundi Salvator, qui in terras descendit ad reformanda mortalium judicia in iis quæ merentur eorum probrum, vel laudem; non secus ac alii obnoxius extitit eorum iniquissimis judiciis, ac justissimis censuris. Novit, & audiit, quæ de se dicerentur, relationes aliis factas, sensus quos relationes eædem inspiraverunt iis, qui autem adhibuerunt; & demum malam impressionem, quam hi sermones pepererunt in animis in detrimentum personæ suæ, suæque missionis. En, Fideles, quid mihi occasionem præbeat hodierna die differendi de malo satis familiari in mundo, & quod ingentem adfert perniciem; quoniam sæpe pacem evertit, discordias alit, caritatem infringit excitans odia, jurgia, contentiones, & inimicitias. Hoc autem vitium adeo pertimescendum illud est, de quo hodiernum loquitur Evangelium: scilicet relationes quæ fiunt verborum, vel factorum alienorum, non tantum ad labem inferendam eorum existimationi, quod ad Detractionem pertinet; sed ad auferendam confidentiam, quæ habebatur in illo, ad exacerbandos invicem amicorum animos, & ad infringendum caritatis vinculum, quo invicem erant conjuncti. Quod proprie vocatur relatio, quæ fuit de dictis, & factis aliorum; & cum hæ relationes idoneæ sint ad perturbandam amicorum consensionem, ambigi nequit, quo minus sint criminosæ, ac perniciosæ. Caritatis opus est, neque ibis inficias, cum herus sit certior dissipationis bonorum suorum a servis peractæ, vel malorum, quæ domi ipsius perpetrantur; & sapientis præcautionis est fideliter Patrem admonere flagitiorum Filii, ut Pater teneatur eorum cursum inhibere; & generatim hoc est bene mereri de homine, non celare ipsum quomodo audiat in populo, quinam de illo rumor percrebrescat, ut cogatur vitæ rationem componere, & emendare vitia, propter quæ improbatur a bonis. Harum relationum caussa justa est, intentio laude digna, exitus ut plurimum felix, & meritum semper certum. Sed

Primo, relationes quæ fiunt absque necessitate alicui de iis, quæ alter dixit, vel fecit contra illum, & in illius detrimentum, sunt infinite perniciosæ. Hoc in priori puncto videbimus.

Secundo, relationes, quas Caritas, vel Justitia nos facere cogunt, magnis egent præcautionibus, & prorsus singulari circumspectione. Hoc erit alterum: cumque utriusque praxis tanti momenti sit, & tam familiaris a vobis benignam exposcit attentionem.

De hoc Argumento sermo est in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evang. sub Titulo: DISCORDIA.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16.

III. ARGUM. De bono usu divitiarum generatim.

Quamvis divitiæ per se nullo sint in discrimine habendæ; quamvis etiam a Mundi Salvatore vocentur iniquitatis thesaurus, *mammona iniquitatis*; tamen multa, eaque magna consideramus bona, quæ inde percipere possunt illi, qui possident eas. In hoc similes sunt strenuis militibus, qui suis non utuntur armis nisi ad explicitum sui Ducis imperium; prævident enim si illis abuterentur in usus alios, æquissimum sibi expectandum esse supplicium. Huic innixus placito vobis ostensurus sum:

Primo, ut generatim optimus fiat usus divitiarum, præsupponendum esse, Deum, qui earum Creator, & Dominus est, illas in terræ sinu abdidisse, & nos pedibus calcare aurum, & argentum, lapidesque pretiosos, ut hinc quidem mundum, & omnia illius bona contemneremus; inde vero nobis esset persuasum verum thesaurum nostrum esse in Cælo, ibique esse debere cor nostrum; quod significat, hæc omnia bona non esse bona nisi in hunc usum, videlicet, ut de terra traducantur in Cælum per manus pauperum, & ad acquirendam æternam felicitatem per eleemosynas, & alia opera bona. Sed aliunde nunquam bene usuri sumus bonis, quæ concupierimus, vel cum nimio ardore possederimus: & hæc esse debet ratio valida, ut ab iis cor nostrum avellamus intuiti quantæ difficultatis sit uti illis cum mediocritate, & rationem, quæ nobis erit reddenda Domino usus illius, quem fecerimus. Etenim quam rarum est terræ divitias possidere, quin illis animo inhæreamus! Illis innocenter uti, servare modum in earum affluentia! Contentum esse eo, quod est necessarium, cum habetur superfluum! Quotidie amputare aliquid de cœna, vestitu, supellectili, familia, non quidem propter avaritiam; hæc enim cupiditas efficit, ut avarus sibimet subtrahat necessarium: sed propter virtutem, ut possimus erogare eleemosynam, & alia bona opera facere! Ecce tamen locupletes, qua conditione Dominus vos opibus cumulaverit; & ecce qua in re rationem bonorum vestrorum eritis reddituri.

Secundo cogitandum est, quænam futura sit gratitudo Filii Dei, & Pauperum, qui sunt ejus membra erga homines caritate ferventes, paratosque semper opem ferendo indigentibus; & hanc non minorem futuram esse caussam, propter quam divites bonorum suorum partem impendunt in gratiam illius, a quo illa acceperunt, qui cum omnia dederit ipsis, dignatur tamen hæc illis debere.

Tertio in loco Eleemosynæ quas exercemus erga fratres nostros, nobis sunt perquam utiles. De hoc nobis persuasum esse debet: sunt enim totidem amici, qui non cessabunt pro nobis intercedere apud Deum ad obtinendas gratias, quæ sunt necessariæ ad operandam salutem in statu adeo periculoso. Verbo hi sunt totidem amici, quos nobismet comparabimus in æternitatem. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DIVITIÆ, *& in Tomo II. Titulum:* ELEEMOSYNA.

PRO IX. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Cum appropinquaret JESUS *Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam.* Luc. 19.

I. ARGUM. De cordis obduratione.

DICENDUM est sane objectum illud, quod incidit in oculos Filii Dei in Evangelio, illi admodum funestum videri; quandoquidem intuenti Urbem Jerusalem, pro qua non ita multo post suum sanguinem effusurus erat, uberes manant ex oculis lacrymæ. Et profecto hic hominum Salvator nullo affectus doloris sensu ob passiones suas, sævaque supplicia, quæ ingrata hæc civitas ipsi erat inflictura, misereur ærumnarum, quibus mulctanda erat in pœnam suæ ingratitudinis, & cæcitatis; oblitusque quodammodo suimet ipsius totam impendit in aliena mala miserationem. Videtur ad supplicia, tamquam ad trium-

triumphum accedere, & hilariter crudelissimam, æque ac contumeliosissimam subire mortem sibi paratam; sed hic dolor cor ejus coarctat, & elicit ex oculis lacrymas veluti cruorem ex vulnere.

Ita est, Fideles, audeo dicere, lacrymas Salvatoris mundi non minorem nobis terrorem inferre debere, quam inferat Sanguis pro nobis effusus; hæ quippe lacrymæ manant ex dolore, quo afficitur videns Sanguinem suum inutilem fore; vel cum hic Sanguis pretiosus non fluat amplius pro nobis, lacrymas fundit testes extremæ calamitatis, ad quam redactos nos videt. Sed heu! Salvator hominum! quænam est hæc tristis cogitatio, quæ acriter adeo cor tuum afficit? Cur ploras videns hanc Civitatem, quam tantopere dilexisti, quam præsentia tua dignatus es, & quam reliquo mundo prætulisti? Num quia fœdata est Sanguine Prophetarum, quem indignissime fudit? An quia mox tuo est polluenda? An quia quotidie ibi nequissima crimina perpetrantur? Nihil horum peculiariter illum vexat; omnium horum malorum caput est obduratio cordis illius pertinacis, ac rebellis omnibus perquisitionibus, atque sollicitationibus, quibus conatus est eam flectere, ut se dederet
Luc. 19. illecebris suæ bonitatis: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

Quod si mala, quæ consequuntur statum cordis indurati non adeo sunt manifesta ac illa, quæ Salvator prædicit infelici huic civitati; hæc aliunde magis sunt deploranda, quia gignunt reprobationem animæ, ac in omnem se extendunt æternitatem: idque ob tres effectus, qui sunt totidem veluti gradus per quos in extremum malorum omnium cumulum pervenitur.

Primo per resistentiam quæ sit gratiis Cæli, sicuti videmus dura resistere corporibus, quibus percutiuntur, & repelluntur, quin aliquam impressionem recipiant.

Secundo stupiditatem, ad quam pervenitur, in iis omnibus, quæ pertinent ad Salutem atque æternas Veritates, tamquam callus, qui obducitur in plagis corporum, ita ut non sentiatur acer ille dolor, quem ante afferebant.

Tertio denique per consistentiam, & perseverantiam in hoc infelici statu, sicut ea, quæ duriora sunt, diutius durant, & conservantur; quæ caussa est, propter quam cor induratum non ultra mutatur, neque rescipiscit ex vitiis, & incapax etiam conversionis videtur. Ea illa tria quæ gignunt funestam hanc calamitatem, Resistentia Cælestibus gratiis, Stupiditas in salutis negotio, Perseverantia, & Mors in misero statu, constituent sermonis nostri partitionem.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: CÆCITAS, *ubi etiam de* CORDIS OBDURATIONE *est sermo.*

Cum appropinquaret JESUS *Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam dicens; quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Luc. 19.

II. ARGUM. De repulsa gratiarum Dei.

Ubi cogito hodierna die Filium Dei oculis lacrymarum imbre manantibus respicientem Civitatem Jerusalem, eique portendentem mala, quæ eam prorsus erant desolatura, dubito fideles, utrum amor, an dolor eliciat ex oculis ejus has lacrymas, & ex corde singultus, quandoquidem ploratus signa sunt utramque hanc animi affectionem significantia. *Testantur lacrymæ dolorem, testantur etiam amorem, & erumpunt quasi rivuli Sanguinis cordis*, Sanctus Augustinus ait. Hinc quidem nemo unus ignorat amorem, & caritatem, qua complectebatur Dei Filius hanc civitatem, quam universis terrarum nationibus prætulit, & in cujus gratiam tot miracula fuerat operatus. Liquet ipsum crebro incolas illius vocasse populum suum, & fratres suos; inter eos ipsum nasci voluisse, illos suis illustrasse Mysteriis, & ab aliis populis distinxisse sexcentis favoribus, argumentis prælationis suæ; quemadmodum testatur Propheta,
Psal. 147. *non fecit taliter omni nationi, neque judicia sua manifestavit eis.* Sed quo magis amor hic extitit tener, & singularis; eo magis populi hujus ingratitudo, indurtio ac stupiditas in tot tantisque beneficiis, rebellio, & resistentia Cælestibus gratiis repleverunt amaritudine cor Filii Dei, & gravissimo dolore illud affecerunt.

Ita dici potest lacrymas ab illius oculis diffluentes manare ex caritatis excessu, & ex miseratione, qua afficitur ad intuitum malorum civitatis illius: verum cum audio probra ex illius ore profecta simul cum lacrymis ex oculis ejusdem fluentibus, nullus dubito, quominus utraque pro objecto habeant Christianos gratiis ejus rebelles, & induratos in sceleribus suis, quos intuebatur a se derelinquendos, & quibus dicere videtur quod Jerosolymæ: *si cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi, nunc autem hæc abscondita sunt ab oculis tuis*: Si cognovisses tempus visitationis tuæ; si tot meæ erga te bonitatis argumenta, ac tot meæ miserationis effectus flectere valuissent cor tuum; modo non esses objectum iracundiæ meæ, & subjectum, quod experiri debet severissimos rigores ultionis meæ. Ut autem admitar prævertere iram, & vindictam hanc, vobis incutere conabor timorem, horroremque caussæ, quæ illos ciet, quæ est cordis induratio, & pertinacia, qua homines detrectant se dedere visitationibus Dei, quæ sunt ejus gratiæ.

Quamobrem, Fideles, confidero, in distributione, quæ fit a Deo gratiarum suarum, tria peculiariter esse advertenda.

Quorum primum est ordo cum quo illas largitur; aliæ enim sunt, per quas inchoat salutem nostram; aliæ per quas illam continuat; aliæ tandem per quas illam perficit.

Alterum, sunt favorabiles occasiones, quibus illas largitur; quia aliæ aliis effectus habent longe majores.

Tertium denique est mensura, cum qua largitur eas; certum est enim, aliis plures, fortioresque dari, aliis vero pauciores, & imbecilliores; quandoquidem penes illum est favorum, & beneficiorum suorum arbitrium. Ad quæ tria mihi videtur redigi posse praxis, & doctrina gratiæ.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evangel. Titulum: GRATIA.

Cum appropinquasset JESUS *Jerusalem, videns civitatem flevit &c.* Luc. 19.

III. ARGUM. Repulsa Gratiarum ex parte hominum tum ex parte Dei.

Filius Dei plorat, ut Sanctus Gregorius ait, illos, qui ita miseri sunt, ut ignorent miseriam suam, & inde nolint emergere. *Plangit eos, qui nesciunt, cur plangantur.* Verbo, plorat stupiditatem civitatis hujus miserrimæ, quæ renuit eam, quæ sibi offertur præsentissima medicina; & quæ ne cogitat quidem de æterna infelicitate, quæ pœna est suæ cæcitatis. Malum deplorabile! Status funestus, qui hodierna die illi commune est cum plurimis peccatoribus! Status, qui proculdubio mereretur lacrymas Salvatoris ipsius, si posset adhuc illas effundere: de qua cordis obduratione vobis verba facturus sum ostendens

Primo repulsam, & contemptum in quo habentur gratiæ Dei, quod conflat peccatoribus omnia mala, quæ Deus Jerosolymæ comminatur.

Secundo repulsam, quam Deus illis facit gratiarum suarum postquam illis abusi sunt, easque contempserunt. Hæ duæ sunt rationes, quæ hunc partientur sermonem, ex quibus cognoscemus, Deum nunquam primum esse, qui nos deserat; sed e contra primum esse, qui deseratur ab homine, qui mox sibi derelictus ambulat in tenebris, & ruit in suam perniciem, æternamque calamitatem.

Vide eumdem Titulum: GRATIA.

PRO X. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Duo homines ascenderunt in Templum, ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus. Luc. 18.

I. ARGUM. Characteres veræ & falsæ devotionis.

SI in rerum natura Opposita juxta se posita magis elucescunt, hoc non semper usuvenit in morum disciplina; sæpe enim vitia quemadmodum vetus Auctor dicebat prope virtutem habitant, & eorum propinquitas tantum abest, quod eorum oppositionem ostendat, ut ferme illa confundat, & efficiat, ut alterum pro altero accipiatur ab illis, quorum acies non satis est perspicax, ut peculiaria lineamenta singulorum internoscat. Profecto qui videt in hodierno Evangelio, hinc quidem Pharisæum ex professione sua Dei cultui devotum, ingredientem in templum, potius ad concinnandum elogium suum, quam ad orandum; ibi ostentare virtutes suas, & bona opera, & gratias agere quod non sit similis hominibus reliquis; & inde Publicanum, cujus status, & officium cedit in præjudicium morum suorum, & vitæ; subsistentem in ima templi parte, & se insignem esse peccatorem professum; neque audentem oculos tollere præ crimnium suorum verecundia: Uter Fideles ex specie externa judicium ferentibus, videtur sanctior, & religiosior præbere plura veræ pietatis argumenta? Sed si intueamur preces superbi hujus Pharisæi a Dei Filio propulsatas, & humilem hunc Publicanum, qui domum suam revertitur justificatus ejus testimonio, qui falli non potest; nonne confitendum est, mendacio nonnunquam inesse majorem speciem veritatis, quam insit eidem veritati: & sicuti nonnunquam magis admiramur artis, quam naturæ productiones, ita cum de virtute agitur, ac pietate, hypocrisim sæpe, & dissimulationem, quam veram pietatem probari? Proculdubio Fideles plurimi refert in hac re non falli, & sicuti hodierna die homines magis, quam alio quovis tempore pietatem adfectent, & singuli ceteris præcellere appetant, vel aliis prælucere; omnino necesse est aperire caussas hujus illusionis. En igitur tres veritates, quæ sunt quodammodo simul conjunctæ, & quarum aliæ alias consequuntur, ex quibus fieri possunt tria puncta sermonis, ubi singulæ seorsim probentur.

Prima. Devotio vera non est, nisi sit in corde. Veritas hæc patet: *In Spiritu, & veritate oportet adorare.*
Joann. 4. Alioquin simulatio mera est, & hypocrisis execrabilis coram Deo.

Secunda. Devotio vere in corde non est, nisi migret in extimam speciem per cultum exteriorem, nisi extrinsecus perfungamur officiis, & exercitationibus piis, quas a nobis Religio requirit.

Tertia. Devotio Deo accepta non est, neque ædificans in oculis proximi, nisi deceat statum nostrum, nostramque conditionem. Hæc partitio complecti mihi videtur, quidquid rationabilius hoc in argumento dici potest. Ceterum tres sunt characteres fictæ pietatis.

Primus est importunitas eorum, qui vacant piis exercitationibus, quæ dedecent statum, locum, tempusque, quibus ad illas exercendas utuntur.

Aliter est censorius quidam spiritus, qui sese immiscet in omnibus monitis, & correctionibus nostris, efficitque, ut censoria nota perstringamus bonas aliorum actiones, & vitam eorum contemnamus.

Tertius est superbia, & dominandi cupiditas in omnibus, quæ ad pietatem pertinent, quod efficit, ut nobis devotionis arbitrium vindicemus, quod locum præbet virtutem, aliorumque merita improbandi.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum; DEVOTIO.

Non sum sicuti ceteri hominum, rapaces, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Luc. 18.

II. ARGUM. De temerario Judicio Pharisæi.

Quod primum Dominus redarguit in superbo Pharisæo est temerarium judicium quod facit pauperis Publicani, sese super illum attollens, ac dicens se non esse rapacem, injustum, adulterum, ut erat ille; se multa bona opera facere, quæ a Publicano illo nequaquam fiebant. Ut autem intelligamus quantum displiceat Deo hoc temerarium judicium, animadverto cum Sancto Thoma tria, quæ necessaria sunt ad rectum judicium instituendum. Primum est auctoritas; Alterum est cognitio; Tertium integritas. Auctoritas in judice requiritur; cognitio juris, & facti; & denique cordis integritas. Si auctoritas defuerit, nullum erit judicium; si cognitio errori erit obnoxium, & judex argui poterit erroris, & cæcitatis; & nisi adfuerit cordis integritas, vitiosum, injustum, corruptumque erit judicium. Plerique autem judicant, & condemnant, primum absque auctoritate: *Quis te constituit judicem?* Plerique sine cognitione: quis enim præter Deum scrutatur renes, & corda? Tertio plerique judicant sine integritate; judicant enim ex libidine, ex utilitate, ex animi cupiditate.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum. JUDICIUM TEMERARIUM.

Alius sermo ejusdem argumenti.

In Judicio temerario considerari possunt; Primo injuria, quæ fit Deo judicium ferendo de hominum intentione, quod jus ad unum illum pertinet, qui solus secreta cordium rimatur. Secundo injuria quæ fit proximo, efficiendo, ut ille jacturam faciat æstimationis nostræ, ad quam jus habet donec palam nihil egerit mali; ideoque judicium temerarium, & contemptus, qui illum subsequitur, manifesta est injustitia. Te nocentem putares, si per detractionem tuam fratri eripuisses æstimationem, qua gaudet apud alios; numquid culpa vacas, cum per judicium tuum temerarium aufers illi æstimationem tuam &c. Tertio injuriam sibimet ipsi facit, quia nosmet reos constituimus coram Deo culpæ gravis; cogimusque Deum hunc misericordiæ, ut districte nos judicet &c.

Vide locum memorarum.

Alius sermo ejusdem argumenti.

Judicium temerarium considerari potest,

Primo in caussis, quæ illud producere consueverunt, quæ sunt invidia, superbia, præsertim vero nequitia, & cordis nostri corruptio; quia passim de aliis judicamus ex nobismet ipsis, & qui alicui vitio obnoxius est, de ceteris idem facit judicium. Secundo in Effectibus, & Consequentibus, quæ gravem inferunt proximo injuriam, auferendo illi spiritus nostri æstimationem ad quam jus habebat; & deinde affectum nostrum, & caritatem, qua illum prosequi debemus; quippe arduum est illum diligere, quem flocci facimus; & denique aufertur illi existimatio in mentibus aliorum, quibus suspiciones, & judicia nostra significamus. Tertio considerari potest in sua nequitia, cum ex diametro oppositum sit caritati, quæ non cogitat malum, non æmulatur, & quantum potest omnia aliorum vitia tegit, ac celat.

Vide locum eumdem.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

III. ARGUM. Apud Deum nihil sumus nisi per humilitatem.

Non miror, Fideles, si Publicanus Evangelicus descendit justificatus in domum suam, postquam ascendit in Templum facturus confessionem adeo humilem, ac publicam peccatorum suorum, & si recipit præclarum adeo testimonium ex ore Veritatis ipsius, contempta censura, & hominum judicio. Verum multo magis admiror profunda Dei judicia de superbo hoc Pharisæo, a quo superbia, & bona, quam de se habet, opinio efficit, ut in Templo suimet ipsius laudes celebret, cum e contra deberet humilem afferre orationem cum suorum criminum confessione petens a Deo misericordiam. Ita pro mercede bonorum operum suorum, quæ tanto cum fastu concelebrat, & ostentat, repellitur a Filio Dei, qui nil adeo perhorrescit, quantum vanitatem, & hominum æstimationem, quæ in pie factis quæritur eo in loco, ubi nonnisi cum humilitatis sensu comparendum est. Ecce Christiani diversus exitus Orationis Publicani, & Pharisæi, de quibus hodiernum loquitur Evangelium; alter quidem a Dei Filio repellitur propter superbiam; alter vero exauditur non sine laudibus illius, coram quo sese humiliat. Quamobrem veritatem afferre audeo, ad quam pauci animum advertunt; nos nihili esse apud Deum, nisi quatenus humiles sumus. Quam ut vobis veritatem probem, videntur mihi probationes omnes in hac una argumentatione contineri, cujus propositiones duæ futuræ sunt partes duæ nostri sermonis.

Primo, nos vere tales sumus, quales sumus coram Deo, qui solus est judex meritorum nostrorum.

Secundo, sed humiles unice vere magni sunt coram Deo, ejusque æstimationem merentur.

Per se patet conclusio; nos non mereri approbationem Dei, & non esse vere magnos coram illo, nisi quatenus humiles sumus; quæ est conclusio Evangelii: *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: HUMILITAS.

PRO XI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

JESUS *tetigit linguam ejus, & suspiciens in Cælum ingemuit.* Marc. 7.

I. ARGUM. De Blasphemis, & jurejurando.

DEI Filius nunquam operatus est miraculum insignius illo, quod in hodierno Evangelio narratur; sive spectetur magnitudo beneficii, quod facit surdo præsertim, & muto, cui duplici miraculo tribuit usum aurium, atque sermonis, quæ duo maxime sunt necessaria hominum societati; sive consideretur multitudo populi, qui testis fuit illius, & qui sese continere non potuit, quo minus suam significaret admirationem, & exclamaret: *Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Sed unde nam factum est, ut ante quam prodigia hæc operaretur, extulerit in Cælum oculos, & alcum emiserit suspirium, *& suspiciens in Cælum ingemuit.* Quasi illa operatus fuisset invitus, quasi prævidens malum, quod pariturum erat in hoc homine bonum, quod illi afferebat. Hæc profecto ratio est illa, quam Interpretes afferunt, qui existimant hunc illum fuisse, de quo alius Evangelista testatur, Filium Dei ejecisse dæmonem surdum, & mutum, a quo obsidebatur; unde nonnulli occasionem arripuerunt dicendi non sine contumeliosissima blasphemia ipsum in virtute Beelsebub ejecisse dæmones de corporibus Energumenorum; & quidam Sancti Patres addunt etiam Dei Filium prævidisse abusum, quem hic mutus facturus erat linguæ suæ per blasphemias, & juramenta, quæ prolaturus erat aliquando contra illum ipsum, a quo tanto hoc sermonis munere fuerat donatus. Hæc Christiani mera est conjectura, quamvis innixa bonorum Auctorum testimonio. Sed hoc mihi ansam præbet loquendi de peccato, quod hodierna die familiare est inter Christianos, quamvis olim infrequens esset apud Judæos propter severitatem legum, quæ non sinebant illud abire impune. Hoc jusjurandum est, atque blasphemia, quæ licet Ecclesiæ Canones, & Regum nostrorum Sanctiones, qui nostris quoque diebus pietatem suam insiguiverunt, per gravissima supplicia, quibus in hoc crimen animadverterunt, non cessat tamen esse maxime communis, & execrabilis abusus, qui ab homine fieri possit linguæ suæ. Igitur ad injiciendum vobis horrorem, quem meretur, ad examen vocandæ sunt caussæ, & aperiendi fontes a quibus emanat.

Prima est cordis corruptio, ut inquit Filius Dei ipsius.

De corde

Matth. 15. Matth. 12. *De corde exeunt cogitationes malæ, falsa testimonia, blasphemiæ*, & alio in loco: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Quæ enim esse debet cordis corruptio, ex quo prodeunt tot blasphemiæ, juramenta execrabilia, & abominabiles imprecationes? Minimus Religionis sensus vigere ne potest in corde hoc, ubi tot impia verba coalescunt? Et si ex abundantia cordis os loquitur, quis ambigere poterit, utrum cor repletum sit impietate?

Altera caussa juramentorum, ac sermonum dedecorantium Deum, & Religionem, infelix est consuetudo jurandi, quæ inolevit in mundo; & habitus, quem plurimi contrahunt, per quorum alterum credimus hunc morem esse, ideoque sequendum; & speciem quamdam vanitatis, quam æquo liberiores, ac irreligiosi homines adfectant; per alterum vero, hoc est habitum, qui contrahitur, ita consuescimus, ut in singula verba opportune, & importune juretur, etiam quin animus advertatur. Ostendendum est ergo utrumque Christianæ Religioni adversari, & iis pietatis sensibus, quos fidelis habere debet in corde.

Tertia est impunitas peccandi propter modicum zelum, quo Magistratus sinunt Divinas, humanasque leges contemni. Sed si illi, qui præ manibus habent auctoritatem, suo hac in re muneri desunt, Deus qui semper probavit se ultorem severum blasphemiarum, teterrimos justitiæ suæ depromet effectus in proserentes, ac tolerantes illas.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: JURAMENTUM.

Aliter etiam hoc ipsum argumentum pertractari potest; ostendendo — Aliter offerri potest hoc argumentum.

Primo Blasphemiam, & jusjurandum esse meræ nequitiæ peccata, ex quibus nullus percipitur fructus, & utilitas nulla perpetrantibus illa.

Secundo Enormia esse peccata, habentia prorsus peculiarem impietatis characterem: etenim directe lacessunt Deum in persona sua, ideoque continent formalem divinæ Majestatis contemptum.

Tertio Peccata sunt, quæ Deus severius punit, ac difficilius dimittit.

Vide Bibliothecam, titulo eodem.

Item aliter Argumentum hoc variari potest; ostendendo

Primo Blasphemiam, & juramentum esse crimina omnium impudentissima; palam fiunt, sine verecundia, & sine timore divinæ Majestatis, quæ opportune, & importune in occasione qualibet in testem assumitur.

Secundo Crimina sunt omnium gravissima, & difficillime remittenda; Deus enim facile irascitur ob contemptum, in quo miseræ creaturæ habent magnitudinem ejus; & videmus in Scripturis hæc ea esse peccata, ex quibus severissimam ultionem poposcit Deus.

Tertio Hæc plerumque peccata sunt in effectibus suis perniciosissima, propter scandalum, quod afferunt, & quod late sese effundit, atque communicat.

Vide Titulum eumdem.

Aliter etiam mutari potest hoc argumentum, ostendendo in jurejurando, & in blasphemia tres circumstantias, quæ peccatum reddunt atrocius, & peccatorem criminosiorem.

Primo nequitia magis adfectata; neque enim ex infirmitate peccatur, ex ignorantia, vel utilitate, quæ cedat juranti; sed ex fatua vanitate, ac apertissima impietate: & si quis propter iracundiam jurat, cur irascitur Deo? Numquid hoc juramentum, vel blasphemia medicinam affert malo, vel damno, quod illatum fuit tibi?

Secundo Contemptus est major, atque apertior Majestatis Supremæ: perinde ac illuderetur Principi coram ipso, quin ira illius, ac justa metueretur offensio, vel perinde ac oblectatio perciperetur irritando illum, & in ludibrium potentiam ejus traducendo.

Tertio Attentionis defectus a peccati gravitate minime excusat; e contra habitus peccati contractus metum dumtaxat imminuit, sed auget audaciam, & indicium est, illud sæpius fuisse perpetratum impune, ita ut comminatio Divinæ Justitiæ nullo habeatur in discrimine.

Vide Titulum eumdem.

Adducunt ei surdum, & mutum. Marc. 7.

II. ARGUM. Quantum sit crimen celare in Pœnitentiæ Sacramento grave aliquod peccatum.

Si ex me quæritis, Fideles, quid hodierna die nobis repræsentet Evangelium per hunc hominem mutum; dicam vobis, hunc esse hominem, qui accedit ad Pœnitentiæ Tribunal abusurus modo magis criminoso, atque contumelioso benitate, & misericordia Dei, celando peccata sua; esse ægrotautem quocumque pretio curari cupientem; sed qui mallet mortem subire, quam aperire caussas ægritudinis suæ, ac morbum detegere. Hoc in loco loquor tantum de noxio silentio, quo in Sacramento peccata celantur. Criminosi, atque Sacrilegi hujus silentii tres plerumque sunt caussæ, a quibus nor quam diligenter sibimet cavere debet Christifidelis.

Primo, silentium ignorantiæ, cum omittimus declarare peccata, quia ignorantur. Fateor equidem accidere posse, ut hoc silentium nequaquam sit recens peccatum; cum pro virili conamur omnia in memoriam revocare peccata, ac diligenti examine conscientiam excutere; sed cum ex negligentia ignorantia hæc proficiscitur, & ex sufficientis indaginis defectu, tunc censetur voluntaria.

Secundo, silentium timoris, vel pudoris, quo fit, ut minime audeamus noxas aperire, ne jacturam faciamus existimationis nostræ in mente Confessarii.

Tertio, silentium nequitiæ, cum detrectamus nostra confiteri crimina, animo eadem dissimulandi. Hæ tres silentii species efficere possunt Sermonis partitionem.

Pro parte prima, quæ pertinet ad silentium ignorantiæ, animadvertenda sunt illa Prophetæ verba; *Veritas, & misericordia obviaverunt sibi*. Cum veritas prodit ex ore peccatoris, misericordia, & venia peccati prodit ex ore Dei; sed silentium obicem constituit divinæ misericordiæ, si adfectata, & crassa est ignorantia, ut dicitur vulgo; & Sanctus Bernardus inquit illam, ut plurimum proficisci ex triplici capite, videlicet *ex sciendi incuria, ex desidia discendi, & inquirendi negligentia*: quæ tria excusare nequeunt hoc silentium, quod in caussa sua est criminosum.

Pro parte altera ad quam pertinet silentium timoris, atque pudoris, valde injustum est, & tamquam impossibile: Primo, nullo pudore sustinendi in sceleribus patrandis, eorumque affici dolore; dolor enim efficit, ut statim malum aperiatur, & inquiratur medicina. Secundo, indignum est, perfunctoriam timere confusionem, & non vereri æternam, quam nonnisi peccata nostra confitentes possumus evitare. Tertio, verecundia hæc est commentitia. Homo enim, qui Dei locum tenet, & cui peccatum fatemur, iisdem est obnoxius infirmitatibus, quibus nos ipsi.

Pro parte tertia, ad quam spectat Silentium nequitiæ, tunc accidit cum voluntarie, & de industria celamus crimen, quod horribile est sacrilegium, & crimen enormius omnibus peccatis, quæ aperire possimus. Credo paucos esse, qui ad hunc excessum nequitiæ perveniant; sed usitatum est dissimulare criminum gravitatem per eos prætextus, qui illa excusare videntur, vel uti ambagibus, ut longe alia videantur ab illis, quæ sunt, & sæpe etiam aliquis operire conatur illa, ac involvere sub nomine aliarum levium noxarum, velut vanitatis, inanis oblectationis, immodestiæ, festivitatis, obtutuum liberiorum, & parum decoræ curiositatis.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFESSIO.

Adducunt ei surdum, & mutum. Marc. 7.

III. ARGUM. Infelicitas peccatoris surdi gratiis, & inspirationibus.

Hodiernum Evangelium in miraculo, quod operatus est Dei Filius muti linguam dissolvens, aperte nos docet, hominem hunc surdum non esse nisi figuram, & imaginem illius, qui voluntate surdus est divinis inspirationibus, & afflatibus gratiæ: *Si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Quam ob rem fert animus tres peculiariter ostendere vobis veritates, quæ futuræ sunt sermonis hujus partitio.

Quarum prima est nihil esse periculosius, quam Dei gratiis resistere. Hæ rapidæ, ac perfunctoriæ sunt gratiæ, ubi eas voluerimus non reversuras; fulgura sunt in noctem æternam evanescentia, statim fere ac nitescunt. Parum attenditis, ut ex hoc bono exemplo proficiatis, ut huic inspirationi respondeatis, ut primum hunc motum sequamini; numquid Deus semper gratiam eamdem collaturus est? Utique fortassis, & forte non item; sed potius hoc posterius timete. Semel, & iterum vos invitavit ad Cœnam vobis paratam; numquid & tertio vos invitabit? Vocavit vos in Regnum suum; numquid semper vos est invitaturus? Timeo, ut potius adimpleatur in persona vestra illa JESU CHRISTI comminatio: *auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus*. Matth. 11.

Secunda veritas est, nihil esse usitatius, quam Dei gratiis resistere; neque enim tantum unius, vel duorum annorum spatio persequitur peccatorem pertinacem, quemadmodum persecutus est Israelitas in deserto; sed nonnunquam annos quinquaginta, & sexaginta; urgens illum, & obsecrans, ut suis uratur luminibus, quæ illi præstat, ut agnoscat infelicitatem suam, & errores cordis sui: *Dixi, semper hi errant corde*. Centies clamat, tu te perdis, & ruis in damnationem; minas adhibet, loquitur illi de Morte, Judicio, Inferno; & profitetur, si peccator adhuc abusus fuerit potentia sua, se illum perditurum; *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Verbo, ne illum cogatur derelinquere, illum perterrefacere conatur; sæpe suscitat inimicos, qui illum persequantur,

sequantur, illi immittit ærumnas, spinis serit omnes illius vias, ut ad se reverti teneatur.

Tertia veritas est, Peccatorem tandem visurum esse gratias omnes, quibus abusus fuerit, tot salutares stimulos, quos suffocaverit, tot sanctos afflatus, quibus restiterit. Hæ gratiæ tanto steterant pretio Salvatori; peccator vero nullo eas habuit in discrimine: infiniti erant valoris, quia erant pretium Sanguinis Dei; eisque ille prætulit turpem voluptatem, lucrum vile, easque contemnens pedibus calcaverat Sanguinem Salvatoris sui, cujus erant fructus. Pars harum gratiarum adeo copiosarum plures infideles convertisset, & verum fidelem efficere non valuerunt. Hæ poterant ex illo sanctum efficere, & per duritiem cordis ipsius efficient reprobum; hæ illi datæ fuerant in salutem, atque justificationem, & propter ejus infidelitatem in ipsius cedent damnationem, reddendo illum inexcusabilem.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: GRATIA.

PRO XII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum. Luc. 10.

I. ARGUM. De caritate erga proximum.

QUARE Deus, qui adeo frequenter totum postulat cordis nostri amorem, & reapse totum meretur, illum tamen partiri videtur cum amore erga homines, & partem jurium suorum in proximi gratiam relaxare? Hoc inde fit, Sanctus Joannes Chrysostomus respondet, quod hæc præcepta duo, alterum quidem diligendi Deum, alterum vero fratres nostros amandi, adeo perfecte sibi cohærent, ut fieri omnino non possit, ut duo amores isti invicem separentur, quin destruantur. Sicuti enim Sanctus Thomas argumentatur, Caritas qua diligimus Deum unum, eumdemque habitum constituit cum caritate, qua diligimus proximum; quoniam diligimus Deum in hominibus, hos propter illum diligentes. Denique duo hæc invicem nequeunt separari, Sanctus Augustinus inquit, & alterum ex altero consequitur, ita ut qui diligit Deum, nequeat sese a proximi dilectione dispensare, & qui vere proximum suum diligit per Christianam caritatem, reciproce verum habeat amorem Dei. Quapropter mirum esse non debet, si duo hæc præcepta arcto adeo fœdere simul conjuncta sint in lege cum veteri, tum nova; & si Deus duo hæc caritatis officia in eodem præcepto copulaverit: *Diliges Dominum ex toto corde tuo, proximum autem sicut te ipsum.* Luc. 10.

Multo minus adhuc videri debet, Salvatorem, qui adeo tenero amore complectitur homines, omnes fuisse complexum novæ suæ legis obligationes in hoc uno præcepto; reliqua enim ad hoc referuntur, & ille ceterorum replet officia, qui vere diligit proximum suum. Verum cum hoc mandatum diligendi proximum suum latissime pateat, ita ut sit plenitudo Legis, Evangelii compendium, & ut cum Tertulliano loquar, *Christianitatis summa*; effectus quoque carent numero; hos tamen ad duos redigere conabor, qui in duobus Sancti Pauli Apostoli verbis continentur; *Caritas patiens est, benigna est*. 1. ad Cor. 13.

Primo Caritas patiens est, & benigna; patitur, & operatur; sustinet proximi defectus, hoc est, quidquid mali in ipso est; & quidquid infert nobis. Talem esse decet primum caritatis effectum erga proximum.

Secundo benigna est; hoc est benefica, & facit omne bonum, & de omnibus, ubi potest, benemeretur; Qui effectus est alter. Quidquid deinceps dicit Sanctus Paulus, & quidquid nobis præcipit Evangelium fusius explicat duo hæc officia, quæ constituent, ut videtis, totam sermonis partitionem.

Vide in Bibliotheca Titulum: AMOR ERGA PROXIMUM.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum. Luc. 10.

II. ARGUM. De caritate erga proximum.

Assumi possunt pro argumento, & partitione sermonis de caritate Proximi, hæ duæ veritates, quarum probationes perspicuæ sunt, facilesque.

Prima est, quicumque non diligit fratrem suum, Deum vere non amat. Quamcumque caussam prætexat, vel excusationem ad frigus suum, indifferentiam, vel aversionem, quam concepit in illum a quo læsus fuit, dissimulandam; & quamcumque sibi rationem esse putet illum non amandi; quia duo isti amores erga Deum, & erga proximum sunt vicissim alter alterius regula, & mensura, cum in hac re explicitum sit Dei verbum.

Secunda est Deum vicissim amare non posse illum, qui odit fratrem suum, vel qui illum amore non prosequitur; nam præterquamquod duæ hæ veritates altera alterius est ratio, & arcto in se fœdere conjunguntur; hoc semper fit sub hac conditione, quod Deus nobis suam offert gratiam, quæ inseparabilis est ab sua amicitia &c.

Vide in Bibliotheca locum eumdem.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum. Luc. 18.

III. ARGUM. De modo proximum diligendi.

Dei Filius, qui nobis imperavit, totiesque commendavit amorem proximi, nos etiam docuit modum, quo se a nobis amari cupit, & hunc tamquam sermonis argumentum proponere possumus; quod generatim desumi potest secundum tria exemplaria, quæ triplicem nobis ostendunt obligationem.

Primum est, amare proximum nostrum, sicuti nosmet ipsos amamus. *Diliges Proximum tuum sicut te ipsum*, quod multa complectitur; sed illud potissimum, quemadmodum amor, quo nosmet ipsos prosequimur, omnium maximus est, fortissimus, & validissimus; tales etiam esse debere qualitates amoris, quo complecti debemus proximum.

Alterum est illum diligere eo modo quo ab illo diligi cuperemus. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Tertium est illum diligere eo modo, quo JESUS CHRISTUS nos dilexit; *mandatum meum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Quomodo vero nos ille dilexerit, nostis. Joann. 15.

Vide locum, quem supra.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum. Luc. 10.

IV. ARGUM. Deus esse debet caussa, & exemplar nostræ Caritatis erga proximum.

Ostendere quomodo Deus esse debeat caussa, & exemplar nostræ caritatis,

Primo esse debet caussa. Debemus amare proximum propter Deum. Explicandum est quid sibi velit amare proximum propter Deum; quem finem habere debemus propterea in amore, quo illum complectimur; & quæ signa sint, ex quibus cognoscere possimus, utrum illum vere propter Deum diligamus.

Secundo nobis esse debet exemplar. Proximum diligamus, sicut ille dilexit nos, primo prior diligendo, & perquirendo nos. Secundo amando nos, quin nostra indigeret opera, cum per se ipsum esset beatus. Tertio amando nos amore immenso; nihil enim prætermisit, ut ardentem amorem suum nobis testaretur.

Vide locum eumdem, quem in superioribus argumentis memoravimus.

PRO XIII. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. 17.

I. ARGUM. De ingratitudine, & gratitudine.

CHARITAS, quam Dei Filius exercet erga decem leprosos, quibus perfectam restituit valetudinem, conjuncta est cum pluribus circumstantiis spectabilibus, quæ complectuntur admirabilia dogmata ad nostram vitæ rationem accommodata. Hic hominum Salvator Jerosolymam proficiscens obvios habuit decem leprosos, qui secus viam illum expectabant, quem ubi adventantem viderunt extulerunt vocem suam deprecaturi, ut sua misereretur calamitatis, atque uti dignaretur ea facultate, qua divinitus donatus fuerat, ut eos consolaretur. Nihil præterea opus fuit, ut Medicus hic caritatis succensus afferret medicinam malo adeo periculoso, quod illico sublatum fuit imperando, ut illi semet Sacerdotibus Legis sisterent; immo ne præstolatus quidem est, donec illi facerent imperata; mundati enim fuerunt statim ac viam ingressi sunt, ut sese ad Sacerdotes conferrent.

Ecce, Fideles, Caritatem benignam, quæ illis prodesse quærit ipsis, qui per ingrati animi vitium se eadem indignissimos præbent. Etenim ex decem Leprosis, qui mundati fuerant, novem, qui erant Judæi, & ex numero electi populi sui, tantum obliti beneficium, ne gratias quidem sibi agendas esse censuerunt; & unus dumtaxat, qui Samaritanus erat, & alienigena reversus est, ut accepti beneficii ageret gratias. Reliquorum novem ingratitudo Benefactoris probrum nacta est; *Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?* Quippe ingrati animi vitium turpe est, & infame; quod Deus simul, & homines ferre nequeunt citra indignationem; e contra vero probat, commendat, novoque cumulat beneficio gratitudinem, & rectum cor Samaritani: quippe cui cum perfecta corporis valetudine,

animæ salutem largitur, illi fidei lumen impertiens; nihil enim magis Deum adigit, ut recentibus nos cumulet beneficiis, quam animus gratus, quem testamur illi propter prjora, quæ accepimus ab illius bonitate. Quapropter vobis ostendere volo

Primo, ex omnibus officiis nostris coram Deo nullum illi acceptius esse, quam animum gratum testari ob illius beneficia.

Secundo in quo hæc sita sit gratitudo, & ratio hoc munere perfungendi; quod in duplici Sermonis hujus parte videbimus.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: INGRATITUDO.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.

II. ARGUM. De Confessione Peccatorum nostrorum, quam Deo facere tenemur.

Dei Filius, qui in ictu oculi mundare potuisset hos decem leprosos, tamen illis præcipit, ut sese offerant Sacerdotibus, ostensurus nobis hanc legem esse inevitabilem, quam voluit irrogare confitendi peccata nostra Sacerdoti, quantamcumque habere possimus repugnantiam; ad quam tamen superandam nobis tria sunt animadvertenda, quæ peccatores deterrere solent ab accessu hujus Tribunalis pœnitentiæ, & ab usu salubertimæ hujus medicinæ; videlicet necessitas præparationis adhibendæ, verecundia detegendi crimina, & secretissimas cordis sui affectiones, & demum difficultas infringendi nexus peccati. Hæc tria impugnari possunt in tribus partibus sermonis, ostendendo hæc non debere arcere nos a felici hac medicina.

Primo non est facile ad examen peccata sua revocare, memoria recolere tot tetras imagines, excutere tot turpes cogitationes, infamia consilia; perhorrescimus retegere horrendum hoc chaos, vel potius arbitramur nunquam hoc nos consecuturos: sed quid hoc sibi vult? non valeo memet colligere, neque tot flagitiorum meminisse. Videlicet persistere vis in peccato? nempe perhorrescis cogitare de confessione ea tantum de caussa, quia speciosum quæris prætextum, ne emergas ex eo statu, in quo es? Sed primo non evitabis hoc examen, quod tandem aliquando necessario tibi subeundum erit, alioquin morituro in finali impœnitentia, quod est malorum omnium extremum. Secundo quo magis procrastinaveris, eo majores invenies difficultates ad examen hoc faciendum, quia in singulos dies recentia crimina cumulabis. Similis es ægrotanti pharmaca perhorrescenti, sed qui tandem illa haurire cogitur, ne moriatur. Hic sustinet pœnam aversionis, quam habet periculi, & remedii, quod invito animo exhaurit. Tertio multo major est pœna gravem hanc farcinam gestandi ea ipsa de caussa, quia nolunt illam abjicere, ac sese exonerare. Etenim nihil ne facis stimulos conscientiæ, metum moriendi in peccato, & cogitationem te esse inimicum Dei, ejusque justitiam a te pœnas reposcere? Præstat centies quam primum temet tuis liberare criminibus, quam diutius illa retinere inter tot stimulos, quibus cor tuum lancinatur &c.

Secundo rubor peccata sua confitendi efficit, ut Conversionem horreamus; profecto enim illi, quos minus pudet patrati criminis, hos magis pudet illud patefacere. Confusio hæc, & pœna amplificabitur, quæ tandem vel commentitia est, vel saltem infinite delinita, consideratione personæ illius, cui peccata nostra aperimus; sunt enim aperienda peccatori, qui est nostri similis, qui sæpe eadem indiget medicina, qui magis nostræ calamitatis miseretur, quam nos perhorrescat; qui potius admirari debet animum victorem hujus verecundiæ, quam infirmitatem, per quam in crimen incidimus; qui silentio arcanum sibi creditum tenetur involvere, qui nullam ob caussam valet uti cognitione quam ipsi tradidisti de vitæ tuæ statu, & qui tenetur esse tibi amicus ob confidentiam sibi factam, & electionem personæ suæ, ut illi quidquid secretissimum habes, committeres. Hæc omnia providissime disposuisti Deus meus, ut faciliorem nobis præberes confessionem, quod argumentum est te illius esse auctorem.

Tertio labor, & difficultas relinquendi nexus, & vincula peccati, oblectationum, & voluptatum, conatus exerendi ad infringendos habitus; verbo ad immutandam vitæ rationem, & disciplinam. Verum si cogitaverimus, Primo nobis nullam esse sperandam salutem, & misericordiam, nisi constans hoc inierimus consilium quæ conditio est inhærens veniæ quam nobis largitur Deus; secundo Gratiam Sacramenti sternere, & complanare gressum hunc, quem adeo veremur; tertio hoc minimum esse ex iis, quæ exigere potest Deus ab illis, qui adeo contumeliose illum læserunt: Si cogitaverimus, inquam, hæc tria, cum Sancto Augustino experiemur, has tantas difficultates esse totidem terriculamenta, & ne levem quidem pœnam inveniemus in servitute Dei quam inveniebamus vitam traducentes inter flagitia, & satisfacientes cupiditatibus nostris.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Mor. Evang. Titulum: CONFESSIO.

Nonne decem mundati sunt? Et novem ubi sunt? non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. 17.

III. ARGUM.

Ad elucubrandum sermonem de ingratitudine, quod vitium est adeo familiare, de quo tamen vix verba fiunt de suggestu, pro argumento desumi potest; nulla re magis Deum a nobis arceri, quam ingrati animi vitio, idque triplici ex caussa, quæ partitionem sermonis potest efficere.

Prima quia nihil majorem præ se fert contemptum beneficiorum, ideoque Benefactoris ipsius, quam beneficia ipsa repellere, & testari se illi nihil debere. Probatio patet, quandoquidem in rebus ceteris non ita facile earum obliviscimur, quas in pretio habemus, quas diligimus, & quæ cordi nostro inhærent. Harum cum voluptate reminiscimur, sæpe mente illas recolimus, de illis loquimur, eas laudamus, & quacumque in occasione, quanti a nobis fiant, significamus. E contra vero non possumus majorem contemptum testari, quam dedignantes de illis cogitare, vel earum meminisse, vel aliquo modo velle eas sibi negotium facessere. Verum cum aliunde contemptus reciproce contemptum mereatur, liquet Deum vicissim contemnere ingratum, & hoc vitium, quod homines usquequaque oderunt, multo magis odiosius esse in oculis Dei.

Ratio altera est, quia ingratitudo frustratur Deum fructu, quem expectat, omnium bonorum, quæ confert hominibus. Nihil est constantius hoc, cumque ille bonis nostris non egeat, nihil sperat a nobis, neque alia possumus illi præbere grati animi nostri specimina, quam laudes, gratiarum actiones, & amorem. In hoc sita est ejus gloria, cujus zelotypus est, & hoc unum petit a nobis, quo tamen per tetram ingratitudinem illum privamus.

Tertia est, quia per ingratitudinem nostram nosmet præbemus indignos suis gratiis, atque favoribus. Quemadmodum videmus, in more hominum erga ingratos positum esse, cessare quo minus de illis benemereantur, cum videant illos abuti suis beneficiis; dicimus enim, hi sunt ingrati, ideoque indigni, quibus bene fiat; Ita ingrati animi vitium exhaurit fontem gratiarum, quas Deus nobis largiebatur, & eas quoque revocat, quas olim contulit nobis; vel saltem illas reddimus inutiles, nullum inde fructum percipientes.

Vide in To. III. Biblioth. Mor. Evang. Titul. INGRATITUDO.

PRO XIV. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

I. ARGUM. De Providentia Divina.

OPUS non est, Fideles, interprete, explicatione, vel studio ad intelligendum, quod Dei Filius nos docet in hodierno Evangelio, Veritas, quæ ibi continetur, non est ex earum numero, quæ rationem excedunt; vel quæ egeant luminibus fidei, & ratio qua intelligenda est, non est per similitudinem, aut per parabolas, quæ sint explanandæ, ut legitimus sensus inveniatur. Hæc aperta veritas est, quæ videtur etiam oculis minus perspicacibus; disciplina morum, quam Ethnici quoque minus occulati inter ipsas infidelitatis tenebras perspexerunt; primum religionis principium ab omnibus populis acceptum; axioma, quod ratio, & fides, experientia, rectusque sensus, natura, & gratia; atque ut verbo me expediam, omnia creata, quæ magnum hunc terrarum orbem componunt, elata voce prædicant, & a nobis ignorari non sinunt.

Hic integer est sermo, quem Salvator instituit de Providentia, qui maxime perspicuus, validasque probationes complectitur, qui nobis suggerit urgentissimas caussas, propter quas per perfectam confidentiam victas illi dare manus decet; & qui nobis ostentat utilitatem, & commoda, quæ inde percipiunt, qui sese regendos illi permittunt. Sermo denique disertus, sibi constans probatus, eloquens, sed præ ceteris ad erudiendum aptissimus; continet enim veritatem, quæ omnem vitæ nostræ rationem regere debet. Itaque non ipse sum solus, qui animadverterit, videri divinum hunc præceptorem immutasse methodum, quam hactenus secutus est doceudi homines per verba simplicia, quæ vim hauriunt ab ipsa veritate, sine fuco, sine ornatu, & sine omnibus schæmatibus illis, quibus uti consuevit humana eloquentia ad persuadendum. Sed hoc in loco diceres illum gerere Philosophi figuram, atque Oratoris; enarrat, probat, persuadet, hortatur, animat, exempla miscet, & argumenta cum locupletissimarum expressionum affluentia, & invicte concludit, in sinum divinæ hujus Providentiæ projiciendas esse inutiles curas, quæ incessanter nos agitant, ut omnes cogitationes nostras unice transmittamus in quærendo, & acquirendo Regno Cælesti.

Hinc dicere cogor, quemadmodum Providentia non est aliud, quam secreta ratio Sapientiæ Dei in mundi totius regimine, oportuisse, ut incarnata Sapientia nobis explicaret

plicaret præcipua illius organa, & doceret, quanti nostra interesset in ea nostram locare confidentiam, & denique rationes, quæ ad id nos impellunt. Has ad tres potissimum redigam, quas hauriio ex sermone admirabili, quem Dei Filius in Evangelio proponit.

Prima est nihil esse Deo contumeliosius, quam de illius Providentia diffidere, quandoquidem testatur hoc proprium esse Gentilium, & Infidelium, qui Deos venerantur non satis pares, qui ipsorum necessitatibus ferant opem.

Altera est nihil esse inutilius, quam sese illi opponere, atque contendere eadem invita votorum summam consequi; quandoquidem affirmat neminem esse, qui propriis viribus atque industria possit adjicere naturali staturæ suæ cubitum unum, vel in quapiam re excedere limites, quos sua Sapientia præscripsit.

Tertia denique est nihil esse suavius, & ad nostram consolationem aptius, quam sese submittere imperiis hujus Providentiæ. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. In his tribus complector quidquid ad mores pertinet in hoc argumento. Infidelitas, quæ committitur, cum de Providentia diffidimus, & suavitas, quæ gustatur, cum nosmet Dei jussis subjicimus, & cum omnino a Dei Providentia pendemus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evangel. Titulum: PROVIDENTIA.

Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

II. ARGUM. Contra negantes, vel infimulantes Providentiam.

Nulla est perfectio in Deo, quæ quovis tempore magis obnoxia fuerit hominum contradictioni, quam Providentia. Quidam illam omnino negant, quod fecerunt nonnulli veteres Philosophi, & adhuc faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ut non aliam habeant actionum suarum regulam, quam suas cupiditates. Alii illam accusant, & censoria nota perstringunt tamquam injustam in distributione malorum, bonorumque vitæ hujus. Hi cæci sunt propter amorem proprium, qui sese tantum respiciunt, & qui omnia referunt ad commoda sua, suamque utilitatem; nec probant, nisi quod ipsis perplacet, & conqueruntur, & mussitant de ea ratione, cum qua se gerit Deus erga illos. Alii demum sunt Sapientes sæculi, & politici, qui magna ineunt consilia, & qui in cœptis suis gloriantur se quodcumque obtinere posse per industriam suam, per dolos, & technas, quin pendere velint a providentia, quin in illa confidant. Hæc tria illa sunt personarum genera, quæ cum Scripturis vocare possum profugos, & desertores Providentiæ, adversus quos res mihi est: primis persuadendo veritatem, & necessitatem Providentiæ universas mundi hujus res dirigentis; ostendendo conquerentibus, illam toto Cælo æquiorem, & sapientiorem esse in ordine, quem instituit, & in agendi ratione quam sequitur erga homines; & denique illis, qui ab ea pendere detrectant, & qui solum in sua confidunt dexteritate, & industria, probando ipsos sine illa nunquam ex sententia consecuturos, & omnia ipsorum consilia in perniciem eorum cessura.

Pars prima quoad illos qui nolunt Providentiam agnoscere omnibus mundi hujus rebus invigilantem, omniaque ad fines suos deducentem, quamvis per vias nobis ignotas, sufficit, ut homines isti oculos conjiciant in partes omnes mundum hunc componentes, & videant quonam ordine singula tot fæcula perseverant, ut illico inferatur, universum hunc terrarum nequaquam fortuito coaluisse, neque fortuito fuisse directum, sed gubernatum per infinitam Sapientiam, quæ attingit a fine usque ad finem, secundum verba Spiritus sancti. Talis est nexus inter Dei Omnipotentiam, ejusque Providentiam, ut alteram sine altera cognoscere non possemus. Ejus omnipotentia enitescit in rerum omnium creatione, Providentia vero refulget admirabiliter in cura, quam earum gerit; & sicuti nihil sine illius omnipotentia producitur, ita nihil sine ejusdem Providentia regitur, & gubernatur. Latius loqui possumus de perfectionibus Dei, quas hæc Providentia complectitur, de infinita ejus Sapientia, quæ omnia cognoscens nequit ignorare necessitates creaturarum suarum, de illius Bonitate, quæ illas non eduxit ex nihilo, ut mox derelinqueret, de illius Justitia, neque enim tenebatur Deus illis vitam tribuere; sed posito, quod illas propter aliquem finem creaverit, cogitur illis suppeditare media per quæ ad eumdem perveniant; quod etiam æquius est habita ratione hominis, qui est præstantissima creaturarum illius, & pro quo aliæ quæcumque creaturæ factæ fuerunt.

Pars altera est probare rationem, qua sese gerit Providentia erga illos, qui conqueruntur, & illam insimulant injustitiæ in divisione inæquali bonorum, malorumque vitæ hujus, cumulans sæpe divitiis eos, quorum insignis est impietas, & relinquens in squalore, ærumna, & paupertate illos, qui sunt optimi: verum, ut his criminationibus respondeamus, ostendendum est eos, qui illhæc effutiunt primo cæcos esse, suimet ipsorum philaucia excæcatos, qui nonnisi commoda sua, & utilitatem spectant, non autem ordinem, & bonum societatis humanæ, quæ subsistere nequit nisi per mutuam submissionem, quam ultro, citroque homines invicem habent pauperes, ac divites, simulque divites, & pauperes. Non vident naturalem Providentiam terrenis eorum necessitatibus invigilantem semper esse subordinatam Providentiæ supernaturali curam gerenti salutis animæ ipsorum, ita ut ratio, quæ illis severa videtur, divinæ hujus Sapientiæ judicio sit accommodatior æternæ illorum felicitati.

Tertia pars erit respondere illis, qui conantur semet Providentiæ imperiis subtrahere, & assequi omnia per industriam suam; verbo, sui juris esse, & arbitros actionum suarum. His est ostendendum, ipsis nihil cessurum ex sententia, sine peculiari confidentia in eadem Providentia; quia lumina eorum nimis brevia sunt & coarctata, ut videant vera media, quæ suscipienda sunt ut ad suos fines perveniant. Secundo, quia oblectatur Deus sapientum mundi exsufflare consilia, quemadmodum in Scripturis minitatur. Tertio, quia pati nequit superbos homines in Cælum attollere cupientes turrim Babylonicam, eosque deserit arbitrio ipsorum quod est malorum omnium origo.

Vide eumdem Titulum: PROVIDENTIA.

Non potestis servire Deo, & Mammonæ. Matth. 6.

III. ARGUM. De divitiis generatim.

Non ita, Fideles, nemo servire potest duobus Dominis, & quantumvis pateat cor humanum, quod unice potest infinitum complecti objectum, tamen nimis angustum est, ut in eo cohabitet simul amor Dei, & amor divitiarum. Hi duo sunt Domini, quorum alter superiorem se pati non potest, alter vero socium, ut dicebatur olim de duobus imperatoribus, quos universum Romanorum Imperium simul capere non poterat. Verum est, hominem ubique quærere dominum, ac libenter primi sese offerentis mereri stipendia; verum si duobus fideliter simul placere non licet, dici potest juxta Oraculum Evangelicum neminem esse, cui magis impossibile sit satisfacere tempore eodem, quam Deo, & divitiis, quibus sese mancipat per inordinatum amorem, quo deperit illas; & illi quibus tanta est audacia, ut credere præsumant, se conciliare posse duo hæc contraria, similes sunt populis, de quibus loquitur Scriptura, quos Rex Assyriorum misit Samariam, ut Religionem illam incolerent, & qui modo Deum adorabant, eique offerebant sacrificia, modo idolis suis genua flectebant, eisque victimas immolabant. Non ita, Fideles, iterum dico, hoc fieri non potest; & simul idololatriam cum Christianismo consociabitis, ubi simul volueritis servire Deo Cæli, & illi, qui hodierna die habetur pro Deo terræ, quod est argentum. *Non potestis servire Deo, & mammonæ.* Hinc Divitiæ in scripturis injustæ dicuntur, & iniquitatis thesaurus. *Mammona iniquitatis*, quamvis illæ per se malæ non sint, neque saluti repugnent. Sanctus Augustinus tres affert caussas, quæ Sermonis partitionem efficient. Matth. 6.

Prima, quia *sæpe cum iniquitate acquiruntur*, Eximii Doctoris sunt verba.

Secunda, *quia cum iniquitate possidentur* ab illis, qui confidunt in eas.

Tertia, quia *cum iniquitate consumuntur* ab illis, qui in insanos erogant sumptus, ut suis cupiditatibus velificentur.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: DIVITIÆ.

Aliter hoc efferri potest argumentum.

Hoc argumentum aliter etiam potest pertractari ostendendo divitias tria mala in hominibus parere; quare fit ut divitum salus sit difficillime, & moraliter impossibilis secundum oraculum Veritatis ipsius.

Primo injustos in earum acquisitione illos efficiunt.

Secundo illos insaturabiles reddunt in possessione; videmus enim, quo plures possident, eo ardentius illas concupiscere, & cupiditati huic nihil unquam satis esse.

Tertio illos crudeles, & immisericordes faciunt, quin alienarum miseriarum misereantur.

Vide locos superius memoratos.

PRO XV. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur Filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

I. Argum. De Morte, Quomodo nobis auferat errorem illusionum vitæ præsentis.

Sermonis hujus finis est, ostendere, quo pacto mors nobis errorem auferat, & corrigat vitæ hujus illusiones, quæ potissimum sunt tres. Prima est vitæ ipsius, quam putamus nunquam defituram, nobismet chimæricam pollicemur æternitatem, sed mors edocet, nobis serius, ocyus esse moriendum. Altera est bonorum vitæ hujus, quibus inhæremus, & nos docet mors illa vel nihil esse, vel modicum, & licet esserat majora, hæc tandem aliquando esse relinquenda. Illusio tertia respicit nosmet ipsos; aliquid nos esse putamus, & mors efficit, ut intelligamus, quod sumus.

Harum illusionum prima ad ipsam pertinet vitam. Nobis quidem persuadere non possumus nos non morituros; fides, ratio, experientia nobis oppositum persuaserunt: sed pro virili parte mortem arcemus, credimusque nos hac die, hac hebdomada, hoc mense, hoc anno nequaquam morituros, & proinde quamdam æternitatis speciem comminiscimur. Sed mortis cogitatio dissipare debet hanc illusionem; mors enim in singula momenta potest irruere, & nihil incertius est hora, & genere mortis nostræ; exemplum enim plurimorum, quos morientes videmus, cum minime cogitant, nos admonet, nos fortasse vicem eamdem manere, nosque iisdem casibus obnoxios esse, & demum Veritas ipsa nos docet, quod semper parati esse debemus, nescimus enim, quando Dies Domini adveniet. Ostendere possumus nemini locum esse longiorem vitam sperandi, quam illis qui illam inter flagitia trahunt, & de morte sunt minus solliciti. Hinc elici possunt plures, æque præclaræ conclusiones, cujusmodi essent quo magis mortis cogitationem differimus, eo minus paratos fore ad bene moriendum; nos totum vitæ nostræ curriculum in jugi illusione traducturos, cujus errorem nonnisi mors auferet; vitæ hujus illecebras nos privaturas felicitate, quam in altera vita nobis præparaverat Deus; & nos oblitos mundum hunc non esse mansionem nostram, non adlaboraturos ad procurandam nobis æternam in Cælo beatitudinem.

Altera illusio illa est, quam gignunt mundi hujus bona. Profecto si mundus spectetur ex hoc nitenti cortice, habet illecebras ad nos fallendos aptissimas. Exterior hæc species qua sumus amicti, hæc potentia, quæ efficit, ut omnia voluntatibus nostris pareant, honor, quo septi sumus, hæc omnia nos fascinant, ac taliter fallunt, ut pauci sint, qui illis se capi non sinant; sed medium semet præmuniendi adversus illusionem hanc adeo generalem, est mutuari lumina, & veritates a morte. Quærite ex hoc ambitioso, qui adeo sese extulit per technas, & dolos, quid in morte senserit de his honoribus, & dignitatibus ad quas per tot labores pervenit, & de præclaro gradu, pro quo tanta passus est. Heu! hæc evanescunt omnia, cum coram Deo prodeundum est. Quanti facit opes suas, quæ illum a morte nequeunt tueri, & quæ in altera vita nihil sibi profuturæ videntur? Incipit tandem in morte suam agnoscere cæcitatem, & errorem ejicere, nimis adhuc beatus, nisi hæc illusio funestiores haberet effectus.

Tertia illusio est hominis ipsius in hac vita, cum se ipsum dimettens ex specie externa, & fulgore fortunæ, generis, vel præclararum qualitatum suarum aliquid se esse putat. Hæc autem illusio, vel ut melius dicam, impostura hæc dissipanda est mortis cogitatione, atque meditatione. Primo enim separabitur homo ab hoc luxu, hac pompa, & iis omnibus quibus circumdatus est, atque tunc se prorsus nudum, ac solum deprehendet. Proh Deus, quæ mutatio! cum rebus omnibus exuetur, & ex illis omnibus, quæ possidet nihil sibi erit reliquum præter sudarium, sandapilam, & quinque, & ad summum sex agri pedes. Secundo vita, motuque carebit, oculi ejus æterna obruentur caligine; os obstruendum non ultra aperiendum; lingua antea adeo eloquens, ac diserta, sodalitatum omnium oblectatio, silebit. Tertio corpus hoc cedet in pabulum vermium, fietque horroris spectaculum, quia factum putredinis aceryus, ita fœdum, ac turpe erit, ut nemo illud audeat conspicere. Præterea quid fiet de hac mentis elegantia, de scientia, ac industria, acumine, ingenio, quæ cor hominis inflant, & faciunt, ut sese supra ceteros homines jactitent? Si haberet altius impressam in spiritu mortis cogitationem, næ ille abjiceret sublimem ideam, quam fovet de se.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Mors.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

II. Argum. Quid certi, incertique sit in morte.

In morte aliquid certi est, & simul aliquid incerti. Certum est nos certissime morituros; incertum est tempus, locus, & modus quo sumus morituri. Illud vero certum simul, & incertum status in quo erimus, quando moriemur. Ex triplici hac veritate, quæ constituet sermonis partitionem haurire possumus conclusiones, & monita salutaria.

Primo moriemur, hoc certum est, & non licet ambigere. Patriarchæ, qui plura vixere sæcula, tandem diem extremum obierunt; Reges, & præpollentes Monarchæ huic legi subjecti fuere, postquam tot populis imperitaverunt. Robustissimi homines, & qui perfectissima valetudine usi sunt, mortem evitare non valuerunt. Nos igitur quoque sicut illi moriemur. Sed quid sibi vult hoc moriemur? hoc nempe! Corpus nostrum sternetur in feretro, vermibus pascetur, in pulverem redigetur; anima vero in ignotam regionem abibit, in Dei judicio statuetur &c. Quas hoc in loco efficere possumus animadversiones? Impii, & æquo liberiores hanc inferunt consequentiam, quæ in Scripturis relata est: *Veniite, fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura.* Philosophi, & qui se spiritus fortes jactant, non aliud inde arguunt, nisi mortem viriliter esse obeundam, & si fieri potest, vivendum esse in posterorum memoria. Sed Fidelis inferre debet, nos præparandos esse ad bene moriendum; quoniam non licebit ultra medicinam adhibere, si hac in re fuerit erratum. Nos in antecessum mori debere, nosmet a mundanis rebus avellere, & ea facere, quæ tunc fecisse cuperemus.

Secundo in morte incertum est tempus, locus, & genus mortis. Hinc inferendum est, opus esse ut contra mortis insidias nosmet præmuniamus, re enim vera mors plurimos ex insidiis adoritur. Sexcenti casus accidunt in vita, vitia, ac intemperantia sæpe subitæ necis est caussa, vel immaturæ; & sæpe hanc permittit Deus in pœnam criminum nostrorum, nostræque negligentiæ. Decet igitur semper esse paratos.

Tertio in morte certum simul, & incertum est, nescire nos quonam in statu moriturisumus; & nihilominus constat, nos in hoc statu in omnem æternitatem esse permansuros. Quam horrendum est mori in statu peccati! Quam optabile mori in statu gratiæ! nescimus utrum perseverantiam simus habituri, & scimus nisi illam consecuti fuerimus, nos in nullam reditus spem esse interituros.

Vide eumdem Titulum in Bibliotheca.

Cum Jesus *appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ,*
Luc. 7.

III. Argum. De cogitatione mortis, & quantam utilitatem cogitatio hæc nobis est allatura.

Tria potissimum sunt propter quæ Fidelis mortem reformidat; sed frequens mortis hujus cogitatio aufert nobis hunc metum.

Primum est peccatum, qui ex Apostolo stimulus mortis est, quemadmodum nonnulli explicant, est aculeus qui dolorem parit, efficitque, ut metuamus justum peccati supplicium; sed cum mortis cogitatio efficiat, ut peccatum destruamus per sinceram pœnitentiam, in caussa est, propter quam illam minus reformidemus, postquam, ut ita dicam, illi abstulerimus arma.

Secundum est, Adhæsio illa quam habemus cum mundo. Sed mortis cogitatio hæc vincula infringit, per quæ fortius hæremus illi, & efficit, ut ultro, ac libenter faciamus id, quod necessario nobis esset faciendum.

Tertium est Judicium Dei, ad quod post mortem nobis est prodeundum, sed possumus ne isthæc cogitare, quin hoc in statu rationes nostras supputemus, & citra metum extremum hoc momentum præstolemur?

Vide locos in superioribus argumentis connotatos.

PRO XVI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
Luc. 14.

I. Argum. De Avaritia, cujus figura est hydropisis quæ hominem semper efficit sitientem.

Mores quibus omnes sumus obnoxii, & quibus corpus nostrum sæpe laborat, longissime abest, ut æque sint pernicioſi, ac vitia, & habitus pravi, quæ sunt tamquam vulnera, & ægritudines animæ nostræ. Ex infirmitatibus autem, quæ corpus nostrum affligunt, nulla nobis melius repræsentat inexplebilem avaritiam, neque tantum nobis ciere potest ejusdem horrorem, quantum hydropisis. Hoc Dei Filius nobis innuere voluit per curationem Hydropici Evangelici. De hoc vitio hodierna die apud vos verba facturus sum, ob oculos vestros objiciens tria illa malorum genera, quæ mortales in vita hac maxime reformidant, & quæ evitare conantur, illa esse eadem, quæ sibi conflat avarus per inordinatam cupiditatem, qua possidetur.

Primum est turpitudo, & dedecus; nihil enim hominem magis dedecet, quam rumor avaritiæ.

Alterum est servitus, & captivas. Quid non audemus cum vinculis ferreis adstringimur, ut illa infringamus, & perdiram reparemus libertatem. Quæ vero servitus crudelior, ac turpior, quam avaritiæ? Sed qui tenentur amore divitiarum, illam sustinent, eique libenter sese subjiciunt.

Tertium dolor est, sollicitudo, & ægritudo, quæ nobis odiosam efficit vitam. Tamen nemo est, qui durioribus pœnis torqueatur, quam avarus, & qui illas majori cum patientia sustineat.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: Avaritia.

Aliter etiam pertractari potest hoc argumentum ostendendo tria mala huic vitio inhærentia, propter quæ Deus illud, simul ac homines oderunt. Aliter efferri potest hoc argumentum.

Primo turpitudinem, & infamiam, quæ caussa est, propter quam omnes hac se labe infectos esse negant, neque hoc crimine se accusari patiuntur; quod argumentum est turpitudinis, atque indignitatis.

Secundo impietatem, atque irreligionem, ita ut ab Apostolo vocetur *servitus idolorum*. Plures adferuntur caussæ, sed potissima est, quia ab avaris omnia negliguntur Religionis officia, ut illis vacet inquirere, & undequaque colligere divitias, non aliud in animo habituris.

Tertio credulitatem in miseros, qui opprimuntur, & in semet ipsos.

Alia ratio ipsum argumenti pertractandi.

Ostendi etiam potest, ab avaro omnia sacrificari Avaritiæ tamquam suæ divinitati.

Primo sacrificat avarus honorem, & existimationem suam; hæc enim labes corrumpit omnia, & vitiat omnes laude dignas qualitates, quibus homo ornatus esse potest, cumque reddit universis odiosum, & contemptibilem.

Secundo illi requiem suam sacrificat, propter curas, & sollicitudines quibus torquetur, ut cumulet, tueatur, augeat divitias suas, quæ caussa est omnium laborum, atque curarum vitæ suæ.

Tertio suam illi conscientiam, animam, æternamque salutem sacrificat per multitudinem criminum, quorum insana ista cupiditas origo est.

Vide locos superius memoratos.

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Luc. 14.

II. Argum. De ambitione.

Cum Dei Filius nullum frequentius exprobraverit vitium Pharisæis in Evangelio, quam superbiam, & ambitionem; ita nullum est contra quod impensius præmuniverit discipulos suos, & eos omnes, qui novam illius Legem erant amplexuri. Nullum est præceptum sæpius repetitum, hoc humilitatis; nullumque peccatum, contra quod altius fuerit invectus in omnibus occasionibus quam contra ambitionem; & demum nullam prætermisit, modo blandami, modo acrem, vehementemque medicinam, ut curaret malum, quod ab ipsa haurimus nativitate, & quod plerumque extremum est, a quo recedere consueverimus. Quamobrem Sanctus Augustinus inquit, nullam in Sacris Scripturis esse paginam, ubi non inveniamus, Deum superbis quidem resistere, & nihil prætermittere, ut dejiciat ambitiosos.

Afferi tamen potest Salvatorem nullibi apertius ambitionem impugnasse, quam in hodierno Evangelio, in quo data opera proponit parabolam contra illos, qui in publicis cœtibus primos recubitus appetunt. *Dicebat autem ad invitatos, parabolam intendens, quomodo primos accubitus eligerent:* Dat autem præceptum hoc admirabile, sibi novissimum locum vindicandi, & rationem adfert, ne, inquit, si alius te spectabilior invitatus accesserit, convivii dominus te admonere teneatur, decedendum tibi esse a loco quem occupasti: *Cum invitatus fueris ad nuptias recumbe in novissimo loco.* Latius explicat, & familiari utitur exemplo, quod obiter alibi dixerat, videlicet neminem propiorem esse casui, quam qui inordinata cupiditate altius attolli desiderat; & demum, hoc concludit axiomate, quod in ore Veritatis ipsius factum est Oraculum: *Qui se exaltat, humiliabitur*, ut nos avertat ab ambitione, per eadem ipsa, quæ ambitiosi maxime reformidant, nempe videre se sub pedibus illorum ipsorum, supra quos conantur assurgere. Jure igitur Christiani, vobis ostensurus mala, quæ periculosa hæc parit cupiditas, ratus sum mihi occurrendum esse iis omnibus, quæ ad illam propugnandam poterant afferri, & vobis auferendos fallaces prætextus, quos amor proprius excogitavit, ut blandiretur naturali studio, quo rapimur; sed spero, fore ut errorem abjiciatis, ubi vobis ostendero; Primum, ambitionem fontem esse plerorumque malorum, quæ hodie graſſantur in mundo. Secundo cum sit inquieta animi perturbatio, ardens, ac tumultuosa, omnem vitæ nostræ requiem perturbare. Ita ut sive nosmet inspiciamus quatenus homines in vitæ civilis commercio implicitos, sive quatenus Fideles, qui vivere tenentur secundum Religionis placita, ambitio sit periculosior scopulus, qui in utroque statu inveniatur, & in quo vix evitari potest pereundi periculum, cum nosmet conamur attollere contra Dei voluntatem. Hæc erit tota hujus sermonis partitio.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Ambitio.

Ostendere etiam licet Ambitionem in natura sua considerandam esse nimiam sese attollendi festinationem; quare sit cupiditas hæc admodum periculosa. Aliter efferri potest hoc argumentum.

Secundo in mediis, quibus utitur, esse injustam, quippe ex merito asserto fit indignitati suæ supplementum.

Tertio funestam in exitu sive pro tempore, sive pro æternitate.

Ostendi quoque potest, neminem in hac ipsa vita calamitosiorem esse ambitioso, idque tres ob caussas, quæ sermonis partitionem possunt statuere. Rursus aliter potest pertractari.

Prima propter cruces, servitutem, & voluntariam captivitatem, ad quam redigitur ambitiosus; ut votorum suorum summam consequatur; hoc est ut ambitiosi perveniant ad dignitates, & gradus, quos appetunt; quis enim ignorare potest abjectas, turpesque assentationes, quibus utuntur, ut in magnatum gratiam adrepant? Serviles assiduitates, quibus illis famulantur? Quam non induunt personam, ut sese eorum libidini accommodent? Quamobrem Sanctus Bernardus exclamat, O *ambitio, ambientium crux*! Hoc argumentum locum tribuit hypotiposi hominis ambitiosi; atque ostendendi, quo pacto ille repit, ac se humiliat antequam se attollat, quomodo diu serviat, antequam dominetur, ubi plurima dici possunt. Quo timore, qua agitur sollicitudine, exitum prætolatus consiliorum suorum? Quo dolore conficitur, cum illa pessum ire cognoscit? quibus agitur angoribus, cum de spe sua se dejectum intuetur? &c.

Ratio altera propter quam ambitiosi sunt odiosi Deo simul, & hominibus. Hanc Veritas ipsa protulit loquens de superbia, quæ ambitionis comes est individua. In ipsis eorum ambitiosis consiliis Deus illis resistit, juxta Oraculum Spiritus sancti. Videtur etiam oblectari Deus sese eorum conatibus objiciens, & illorum consilia evertere gestiens; superbia enim, præsumptio, & audacia ambitionem semper concomitantur. Exempla ex Scripturis deprompta perspicue hanc probant veritatem; nec minus odiosi hominibus sunt; qui per secretam superbiam pati nequeunt, ut alii super se ipsos extollant; unde fit, ut clanculum illis adversentur, nisi palam audeant per clandestinas coitiones, & societates, quas adversus illos ineunt, ex quibus secreta afficiuntur lætitia, cum vident diruta horum ambitioforum consilia.

Tertia denique propter pericula, quibus semper sunt obnoxii, sive ex parte candidatorum, eumdemque gradum petentium, sive ex natura honorum, & dignitatum, quas ambiunt; cum enim hæc omnia fragilia sint, sexcenti reditus, totidemque catastrophes vitæ eorum tranquillitatem perturbant.

Vide locos superius memoratos.

Probari etiam potest ambitionem primum excæcare mentem efficiendo, ut aliquid ingrediamur, quod vires nostras, & merita excedat; ita enim efficit, ut nosmet ipsos minime cognoscamus.

Secundo cor nostrum corrumpere, inspirando illi superbiam, & inordinatum nitendi desiderium.

Houdry Biblioth. univers. Tom. postremus.